ÆMILII VEZOSII MEDICI, ET PHILOSOPHI ARRETINI GYNÆCYESEOS, ...

Emilio Vezzosi, Antonio Biondo

Digitized by Google

Author candido Lectori.

DIſtinctum tribus officijs, totidemq; libellis,
Perlege fœmineum, candide lector, opus:
Da veniam pariter; nonum non diſtuli in annum
Ne diſcors dictis iam vocer ipſe meis.
Vt mulier ſobolem fœcunda concipit aluo,
Geſtatam decimo denique menſe parit;
Haud ſecus hæc animo functus concepta trahendi
Munere, bis quinto carmina menſe cano.

CHRISTOPHORI BORRII ARRETINI
DE GYNAECYESI AEMILII VEZOSII Arretini Hexaſtichon, &c.

Ecce duos (vnumq́ue putas exiſtere) Lector,
Mirificos Partus, eximiosq́ue vides:
Vnum dat prægnans maturo pondere mater,
Atque alium Vatis Muſa dat Aemilij.
Admirandi ambo: vt charo fert ille Parenti
Gaudia, fert alter gaudia magna ſuo.

Ludouici Albergothi Aretini ad Lectorem.

Excultum ſi Lector opus, quæ Muſa canora
Mouerit, inquiras; quiſuè Poeta cheli?
Phœbus, & Aemilius, Parnaſsi cultor vterque,
Vel medicas artes illè, vel illè, tenent:
Alter Muſarum princeps eſt, alter alumnus:
Ambo ergo Authores; nouit hic, ille dedit.

Antonij Tacchi Ciuitellani ad mulierem ſterilē.

Si qua cupis ſterilis mater nunc vera vocari,
Ac ſobolem dulci gignere docta viro;
Qui mores grauidam deceant; quis cultus alendi,
Diſcere; quęque inſtent cæca pericla vtero,
Aemilij pete docta noui modò carmina Vatis,
Tergemino pandit nam tibi cuncta libro.

Vincentij Ghezij à Laterina ad Authorem &c.

Dum tu prægnantes, ad lenti Thybridis vndas,
Concinis, Infantem qua ratione trahant?
Ecce tibi Muſæ præcingunt tempora lauru,
Vezoſi, ò Patriæ ſpesq́;, decusq́; tuæ.
Quot quot ſydereos Cœlo nox explicat ignes,
Tot bene te meritum præmia parta manent.

Antonij Blondij Arretini Tetraſtichon.

Vnde peregrinus, ſterili Soractis ab antro,
Hauſiſti tantùm dulce fluentis Aquæ?
An Phœbus, cui forte fuit mons ille dicatus,
Aſtitit, & lymphas ex Helicone tulit?

Diocliriani Blanchi Medici Oreſtani.

Tu quoque Conceptus, Partus, Vteriq; labores
Dum canis, Aonia digne Poeta Lyra;
Concipis argumentum animo, functusq́; gerendi
Officio, decimo Carmina menſe paris.

Ioſephi Boccij Arretini.

Rettulit Aemilius geminam cum laude coronam,
Dum cecinit Vates, dum docuit Medicus:
At fugit, vtra magis deceat? vel iudice Phœbo
Pieriæq́; Artis, Pœoniæq́; patre.

AEMILII VEZOSII ARRETINI GYNAECYESEOS,

SIVE DE MVLIERVM CONCEPTV, Geſtatione, ac Partu.

AD ILLVSTRISS. LVCIVM SABELLVM, & Claricem Palumbariam Coniuges.

Liber Primus.

Antonij Blodij Arretini Argumentum.

VT ſobolem reddat coniux fœcunda Marito,
Aptum Connubbio tempus, natisque parandis,
Aetatem, ſtudiumque canit nuptæq;, Viriq;:
Naturæ ſterilis cauſſis mox prorſus abactis,
Signa, quibus ſoboles cognoſcitur abdita, pandit.

QVO ſtudio Coniux gignat dilecta marito
Progeniem; quæ cura oneris; quæ victus habenda
Sit ratio; quanta immineant diſcrimina iactis
Seminibus, caſusq;; tener dum prodeat infans;

Quiduè

Quiduè paret mater, vicini conſcia partus,
Hinc canere incipiam. Cœpto Lucina labori,
Aſpira; non quæ priſcis es credita quondam
Temporibus ferre auxilium Parientibus ægris:
At ſuperum quæ regna tenes, fulgentibus apta
Syderibus, palma inſignis, ſpolioq; Draconis,
Virgineos inter cœtus; tu porrige dextram,
MARGARITA, grauem fœtu geſtantibus aluum;
Tuq; mihi fer opem; quando ſub pondere tanto
Bis quinto iam menſe gemo; felicibus æquè
Auſpicijs auſim ipſe tuis producere fœtum.
Tuq; adeo, ſæcli decus admirabile noſtri,
Magnanime o Luci, gentis Lux priſca Sabellæ,
Cum ſponſa Clarice tua, Clariſſima Mundi
Lumina, adeſte mihi; Iani dum nitor ad Aram
Fœmineum vobis properatum dicere carmen;
Carmen deductum ſterili Soractis ab antro.
Vos præbete viam Muſis, quibus ocia læta
Feciſtis, facilem; gemino uos ſydere cymbam
Dirigite, vt portum demum contingat amatum.
Durum iter aggredior: quis enim, niſi fœmina ſola,
Pandere diuitias vteri, partuq; ſecundo,
Fœmineos ualeat cantare, & ferre labores?
Ire tamen præceps animus, facilisq; uoluntas
Hortatur, Vatum quò nulli iuere priorum
Hactenus, & pontum fragili ſulcare carina.

Vere nouo, fœcunda Parens cum ſemina tellus
Concipit, & ſerto crines florente coronat,
Incipiet iuuenis, quem primùm blanda uoluptas
Sollicitat; leuibus Zephyri ſuadentibus auris,
Egregias forma propius ſpectare puellas:
Hinc naturali generandæ ſtirpis amore
Captus, quiſque ſuæ, multis in millibus unam
Deliget uxorem, laribus qua ſponte recepta,
Aſſueſcet Veneris dulces decerpere fructus.
Formoſæ contra candenti in ueſte Puellæ
Prodibunt, ſociumq́; ſibi, ſponſumq́; parabunt.
Sic aderunt læti (quando mors cætera vaſtat)
Quamprimum nati, & natorum à ſtirpe profecti:
Antea quàm morbi, durum genus; antea paſſu
Quàm tremulo accedat, tardoq́; inopina ſenectus
Nam qua felici ſeptem rigat Albula Colles
Flumine, primores patrum, populusq́; Quirini,
Relligione potens (quamuis nec mentibus error
Pulſus adhuc eſſet, tenebræ nec prorſus abactæ)
Hos feſtos voluere dies, Veneriq́; dicatos,
Cui ſoboles olim, cui dulcia pignora curæ.
Nec verò (ſi certa loqui fas) aptius illo
Eſt aliud tempus Veneri, lætisq́; Hymenæis.
Quandoquidem nullo non ſigno fertilis annus
Se pandit: rident Colles: ſata pinguia creſcunt:
Luxuriant ſegetes; veſtitur frondibus arbos,
Vt flores, vt maturos det pendula fructus.

Ipſa nitent varijs iam prata coloribus, ipſæ
Coniugibus vites vlmis iunguntur amatæ;
Itq́; pecus lætum campis, it mitis hirundo
Suſpendens trabibus nidum; ſua roſtra Columbæ
Iungunt, inq́; vicem libantes oſcula, Phœbo
Aduerſæ, varios referunt ceruice colores;
Mille modis animos ſpectantium, & lumina fallunt.
Ergo dum volucres ſuadent, herbæq́;, feræq́;
Nubere, ne calidum vir gaudia differ in annum,
Neuè Hyemis glaciem, Boreæq́; attende rigorem;
Duc age, duc intro dominam, ſociamq́; cubilis,
Qua cum traduces reliquum feliciter æui,
Aequalem ſeruans generis ſurgentis amorem.
Ac prius aulæis thalamum quàm rite parare
Inſtituas, dextramque ſimul coniungere dextræ;
Inſinuans digitum gemmis, atque orbibus aureis;
Matura tecum hoc debes euoluere mente
Noctes atque dies, omnis dum cura ſeneſcat:
Namq́; ſemel cœptum non vlla rumpitur vnquam
Vi firmum bene connubium, dum vita ſuperſtes.
Turpe datam violare fidem, & contemnere ſancti
Iura verenda tori: talem regnator olympi
Impoſuit legem, manſuraq́; fœdera Adamo,
Vnde genus reliqui trahimus, quo tempore primum
Conſortem thalami duxit, totumq́; repleuit
Prole noua, monitis actus cœleſtibus, orbem.
Ante igitur vires generandis fœtibus aptas,

Aetatemq; decet lectæ cognoſcere ſponſæ;
Ne pigeat facti ſerò, neu denique natos
Tum fruſtra expectes, portum, requiemq; ſenectæ,
Nam cunctas haud fœcundas natura puellas
Edidit: heu multis, dulci ſine munere prolis,
(Coniugium infelix) teritur diuturna iuuentus.
Hæc amat eloquium, ſunt illi carmina curæ,
Nec fuſi, vel penſa placent, nec plena quaſilla.
Pars agiles in bella ruunt, vt grandia tractent
Tela manu, volucremq; vibrēt vt Amazones, haſtam.
Pars fortunatis ſophiæ ſpatiantur in hortis,
Primaq; cunctarum rimantur ſemina rerum,
Velatæ crines oleis, & virgine lauru,
Vosq; Deos, te Phœbe colunt, teq; innuba Pallas.
Sunt aliæ, quas rura iuuant, nemorumq; receſſus
Frondoſi, iaculumq; gerunt, pictamq; pharetram,
Euinctæ ſuras ocreis, & brachia nudæ,
Inſtar Hamadryadum, iaculatricisq; Dianæ.
Vnam igitur numero ex omni, præq; omnibus illam
Iunge tibi, quæ mitis adeſt, prolique nouandæ
Vtilior, nummis parcit, rebusque mariti.
Hæc tibi namq; geret morem, tibi congrua ſe ſe
Aptabit, pulchris dum te fœcundet alumnis.
At mihi nec iuuenis placeat, quæ dedita nunquam
Sit generi; nec anus, vegeto quæ ſanguine caſſa,
Effœto iam tarda gerat ſub corpore vires:
Biſdenas hyemes, biſdenos ſenſerit æſtus

Fœmina, quæ nubit: quamuis ſit idonea proli
Septem etiam ante annos; tunc mammæ pectore turgent
Extantes, arctumq́; ſinus diſrumpit amictum;
Tunc & purpureum cœpto iam menſe cruorem
Luna mouere ſolet: gracilis, nec obeſa deinde,
Nec placet imbellis, nec quæ plerunque dolore
Iactatur ſtomachi, nulla curabilis arte.
Nempe incompoſitam iactabit ad æthera vocem
Nunc ſuper incumbet ſtrato, vitamq́; putabis
Defunctæ ſimilem penè expiraſſe repente:
I tunc progeniem, & natos attende propinquos,
Eſt etiam merito thalamis arcenda virago,
Vbera quæ longo pridem durata labore
Oſtendat rigida, & nullo turgentia ſucco;
Quæq́; magis dira arma ſinu, quàm pignora geſtet.
Illa erit apta viro, plenis quæ nubilis annis,
Tum membris, tum mole incedit corporis æqua,
Sanguineam niueo faciem perfuſa colore;
Illi maturì diſrumpent viſcera fœtus.
Quanquam nec vitæ deſunt breuioribus annis
Donatæ, quas vt generis ſpe damna futuri
Sarciret, fœturæ habiles natura creauit.
Continuò his rari dentes ſunt, oraq́; circum
Pallentes vmbræ volitant; ſtat mortis imago
Picta ſupercilio, mœſto ſtant lumina vultu.
Sic tiberinus alit vitreo ſub gurgite piſces
Innumeros, turbam exiguam, ſobolisq́; feracem:

Qui

Qui tamen egelido perdunt in flumine vitam
Ante diem, magnis oblati Piſcibus eſca.
Forte etiam multa ſaciet te prole parentem
Illa, fores cuius ſurdas nocturnus amator
Impuleris cantu, veritus non aſpera brumæ
Frigora non vaſtas, auſtro ſtridente, procellas;
Quæq; manu tecum lætas, pedibusq; triſulcis,
Ad cytharæ ſonitum, choreas agitauerit ante.
Paullatim poterit ſegnes hæc flectere ſenſus
Vna viri, precibusq; animum mollire ſeuerum.
At penitus mentem intactæ cognoſcere perge
Virginis ingenuam, temere ne forte tuenti
Obuia clam veniat, fallaxq; illudat imago:
Poſthinc mentitis obnubat lumina laruis.
Tutari fauor innuptas, diffuſaque vulgi
Fama ſolent; latet interea non cognitus error.
Sed locus inſidijs qui ſit, prius ordine diſce:
Effuge rumores dubios, turbamq; loquacem.
Nam ſimul ac labes oculis manifeſta patebit,
Cedet amor ſobolis retrò; furor illico partam
Soluet amicitiam, rumpentur fœdera pacta.
Tu famam (ne crede alijs) vtriuſque parentis,
Ingenium explora, mores, ſpectataq; geſta;
Principium repetens generis: quanta inde propago
Prodierit? num fœcundos longo ordine fratres
Dinumeret? prolem agnoſcat num forte ſororum?
Iudicat haud aliter catulos venator odoros,

Antea quàm ſyluas demum detrudat in altas:
Sic bellator equum; tauros ſic nouit arator.
O nimium felix, ſponſam ſi nactus honeſtam,
Fortunam Crœſi temnas, Craſſique talenta,
Intentus rebusq; tuis, natiſque futuris.
Militiam laudent alij, pulcramq́ue per hoſtes
Contendant famam claris extendere factis.
Aduolet extremos mercator aduſque Britannos,
Multorumq; notet mores, varia oppida luſtret;
Hinc patriam repetat locuples, dubiamq; remenſo
Oceano vitam medijs traducat in vndis.
Tu procul armorum ſtrepitu, pelagiq; fragore,
Viue tibi, comitiq́ue tuæ, nec lethifer æſtus
Ambobus poterunt, nec frigora dura nocere.
Sic hederam quercus, ſic vitem amplectitur vlmus,
Parte alia Virgo ſecum multumq;, diuq́ue
Cogitet: an muris ſe condere debeat arctis,
Inter virgineos cœtus, caſtaſq; ſorores?
Vel potius charo quamprimum nubere ſponſo
Conſtituat? quid prona velit, faciliſq; cupido,
Scitetur; quæ cura animo tum forte recurſet?
Conſulat idcirco matrem, fidamq́, ſororem,
Sollicitam retegens mentem, regemq; precetur
Cœlituum, defixa oculos in imagine Chriſti;
Omne hinc præſidium fluit, omnis gratia pendet.
Nam ſi Virginitas animo ſedet vna pudico,
Ne temerè extremum fluat irreuocabile verbum.

Ah ſcelus inuita firmum ſancire Minerua
Coniugium: quid ſepoſitas, quid ferre paratis
Perfuſas oſtro veſtes? quo denique tendunt
Splendentes armillæ auro, ſtrophiumq; decorum?
Quidue opus eſt gemmis; quando ſpes nulla nouandæ
Prolis, nulla datur genialis gloria lecti?
Ardet enim deuota Deo, caſtiſsima virgo
Aufugere hinc viſus hominum, iamq́; abdita ſeptis,
Arctis murorum ſeptis, in gloria viuit.
Non graue paupertatis onus ſufferre recuſat,
Nec monitus horret legum, nec iuſsa videntur
Dura nimis: gaudet nodoſam cingere reſtem,
Impatiensq́; moræ, rigida lautiſſima membra
Veſte tegit, iam tonſa comam, penitusq; reſecta,
Albenti plaudens obnubit tempora lino.
Hoc alacris cultu ſponſo tum denique coram
Sponſa ire æterno ſperat, poſt fata, ſuperſtes;
Gaudiaq; attendit ſæclis promiſsa futuris.
Ex alia ſi parte velit ſe iungere virgo,
Inuitam ne coge pater: ſed trade volenti
Trade viro natam: pulchra ſic prole repente
Replebit terrarum orbem: Pater optimus alto
Mortales (nubant, aut non) dignatur Olympo;
Dummodo pollicitis maneant, mandataq; ſeruent.
His igitur monitis ſtimulantem libera virgo
Naturam, ac genium, nullo cogente, ſequatur;
Quæq; ſuum; nec verba timor ſimulata miniſtret,

Inge-

Ingenuus uè pudor, tacitæ contraria menti.
Ante tamen quàm conceſſis addicta Hymenæis
Nubere decernat mulier; ſibi deligat illum,
Qui facie pariter floret, viridiq́; iuuenta,
Vix qui terdenos hucuſq; peregerit annos:
Reſpuat imberbes iuuenes, pronamq́; ſenectam,
Cui dotis, non prolis amor, cui iurgia tantùm
Sunt cordi, ſæuumq́; ferens diſcordia bellum.
Odit eam formoſus Hymen; odere Cupido,
Et caſtris Cytherea ſuis quæ trudit inermes.
Neu perfecta puta Titoni coniugis vlla
Gaudia; læta ſenem quoties amplectitur vlnis
Puniceis, & blanda comæ fert oſcula canæ.
Non ne vides, vt bos æuo confectus aratrum
Ferre neget durum? poſitis vt ſecubet armis
Emeritus dudum miles? non amplius audit
Claſſica: pugnandi iam Martius ille refrixit
Ardor, & exultat miti Clementia Corde.
Nec minus ille procul ſponſæ complexibus abſit,
Qui paſſu graditur pigro, quærití; receſſus
Secretos, humiliſq́; nimis, timiduſq́; maritus;
Quiq́; nihil magnum molitur coniuge dignum
Fæcunda: ſolùm ſpectacula ſuſcitat ore,
Dum loquitur, pellitq́; famem, ſi tempus edendi
Inuitet, rabidamq́; ſitim, nec cætera curat
Præterea; qualis contentus humuncio paruo,
In nemore vmbroſo, aut rigida nutritus in alpe

Caſtaneis, de more ſuum, vel glande vetuſta.
Ille placet; quamuis multo non affluat auro,
Arte laboratis corpus nec veſtibus ornet,
Metitur modulo qui rem, victumq; ſagaci
Quæritat ingenio, ludos exoſus inertes;
Inſidijs nunquam addictus, nec fraudibus vllis.
Illum namq; Deus non fruſtra conſpicit æquo
Lumine, largitor rerum, nuptamque pudicam:
Haud aliter vitem Autumno pendentibus vuis
Quàm redeunte ſolet, locupletem ſemine reddit.
Poſtquam ſponſa virum, ſponſam ſibi virq; parauit
Egregiam; ſummis inſtent conatibus ambo
Quærere progeniem, ſocialis præmia lecti
At ſi non fuerit Coniux fœcunda: neceſſe eſt
Sæpius alterna vires recreare quiete;
Illic deficiat ne fœtibus humor alendis:
Hic abſtruſa dehinc vt vis in ſemine iacto
Promptior erumpat dias in luminis auras.
Haud ſecus agricolæ tonſas ceſſare nouales
Permittunt auidi, plenis vt campus ariſtis
Luxuriet, multaq; ferax grauet horrea meſſe.
Dum licet, interea lectis veſcatur vterque,
Nupta, comesq; cibis, vires recreantibus ægras,
Spiritus, & ſucci plenis. ne temnite pullos,
Quos milio in tectis, flauoq; Ancilla panico
Educat, & cauea detentos reddit obeſos.
Grus, anſer, Iunonis aues, vt fercula dura,

Sint

Sint procul: aucupio potius quæſita recenti
Adſint: vt pingues merulæ, turdiq́; loquaces,
Et volucrum omne genus, captum quod montibus altis,
Aut inter ſæpes, aut in conualle reducta
Ventre gerat fœtus oleæ, nigrasq́; virentis
Iuniperi baccas, & odoræ ſemina Cedri.
At ſi deficiant volucres, gallina nouella
Oua tibi, nido recubans, ſorbenda relinquet.
Exectos ruber Auroræ prænuntius ales
Præbebit teſtes, nono poſt menſe daturus
Enixæ ſine teſte cibos, & fercula prima.
Mille quidem latis balabunt montibus hedi,
Mille ſues aderunt imbuti lacte recenti.
Matribus erepti vberibus vix menſe peracto.
Heu fuge tum vicias triſtes, tum leuia piſa,
Ventoſas neu tange fabas, quas fama ſecuta eſt
Auferre arboribus ſobolem, ſi ponè ſerantur.
Nec ſtudio generoſa viris quærenda minore
Sunt vina, vt ſuccum membris, itidemq; calorem
Sanguineum inducant, fœcundaq; ſemina fiant.
Hinc ſteriles reddi perhibent ſponſamque, virumq;
Admoueant ſi quando loræ ſitientia labra;
Incautus vel forte puer permiſceat vndis
Plus nimio, dulcem Bacchi, ſapidumq; liquorem,
Præcipuè gelidis, ſtomacho q; nocentibus ægro.
Nec leuius damnum ebrietas ſitientibus affert:
Infœcunda ſolent hanc propter ſemina reddi;

Sicut agri nimio quandoq; humore fluentes.
At fluuio caueant etiam ne corpora merſent,
Neu vitreo ſe fonte lauent; aut gurgite ſubter
Naiadum de more natent, ludantq; per vndas.
Subter aquis nulli ſpes eſt, vel tuta parandi
Progeniem via: ſic legem venus orta profundo
Inſtituit, iuſſitq; ratam, ſtabilemq; futuram.
Quin medico interea licuit nouiſſe latentes
Coniugij ſterilis cauſſas; morboque repente
Diſcuſſo intumuit creſcenti pondere venter:
Tantùm Poeoniæ omnipotens Deus addidit arti.
Ergo acri ſtudio quæcunque arcana tulerunt
Gentis Apollineæ proceres ſunt rite legenda.
Nam vitium quandoq; maris, quandoq; Puellæ
Semen habet: nunc præ nimio vis frigore torpet
Formatrix; nunc ſponte fluit minus vtilis humor.
Sæpe calor ſuccos durat, tenuesq; meatus
Aſtringit: ſæpe humorem vigor igneus omnem
Diſſipat; areſcit ſterili mox ſemen in aluo.
At non interea ceſſat, non ſegnior inſtat
Arte ſua Medicus contra: nam frigida præbet
Pocula contendens calidis; domat humida ſiccis:
Neu frigus noceat dirum, flammam euocat intrò
Vitalem; hinc venis latè ſitientibus vndam
Elicit ingentem, dum temperet arida membra.
Corpus item ſeu vir prauo, ſeu nupta refertum
Succo habeant; non dum poſſunt emittere ſemen

Prolificum; qualis rapido ſi grandinis imbre
Pulſetur, Boreaq; arbos certante procella,
Vix pomum conata poteſt, vix edere florem,
Profuit bis mediam cubiti pertundere venam
In primis, molemq; foras educere ferro
Humorum, dum trudatur medicaminis hauſtu
Cauſſa mali; vel ſponte volens, facilisq; recedat.
Præcipuè tamen vxoris, ſi forte rebelli
Iam ſucco ſcateat, ratio tibi maior habenda:
Cui non exigua ſatis eſt ſecuiſſe lacertum
Falce ſemel; verùm foſſis excire cruorem
Conuenit vndantem pedibus, quò pigra vocetur.
Menſtrua proluuies; vitrea mox ineoque lympha
Gramina quæ faciunt ad prolem concipiendam.
Nec magnus reperire labor; dabit omnia tellus.
Fœmineas inter prima Arthemiſia plantas
Obuia ſit, nomen Triuiæ de nomine ductum,
Quam Graij Arthemin etiam dixere priores.
Collige mox apium, vulſis radicibus, olim
Tempora victorum nectens, hirſutaq; ruſci
Vimina, virgineam Daphnen, roremq; marinum,
Aſparagum, captrumq;, thimum, rutamq; potentem,
Serpillumq; virens, & amaro abſynthia ſucco.
Mox inter dumeta lupum, ſæpesq; require
Naſcentem, Paphiæq; Deæ dilectam adiantum,
Numquam non ſterili metuentem flumine tingi;
Et geminos ſatyri bulbos, quos illico terra
Auul-

Auulſos, totidem vulpis genitalia credas.
Mercurij legitur paſſim de nomine dicta,
Herba inter lini ſegetem, cultoſq; per agros
Plurima, quæ vulgò formandis fœtibus apta
Creditur: at gemina eſt; prolem iuuat vna virilem,
Altera fœmineam, ſi fas audita referre.
Vt res cunq; ferat, frondes lege nupta recentes,
Ante nouus ſurgat quàm littore Phœbus eoo.
His lectis; orto calidum ius ebibe Sole,
Si te tangit amor quærendi pignora prima.
Aſt alias herbas herbis miſceto Sabinis,
Adde quibus mollem erucam, quam proferet hortus
Irriguus, cythiſum florentem, ſemen anethi,
Læta meliphylla, & bugloſſi gramina longa:
Adde oculis charum marathrum, pallensq; cuminum,
Dictamiq; comas, & odoriferæ calaminthæ.
Omnia quæ collecta ſimul, vel quæque ſeorſum
Gramina, ritè coques, & Nuptæ manè iacenti
Ius tepidum, multiſq; dabis de more diebus.
His ita perfectis; aluus cùm mole grauatur
Inſolita, tentatq; cauam expurgare lacunam;
Protinus hanc betæ folijs, Maluaque ſalubri,
Quæque Damaſcus habet prunis, ſuccoq; roſarum,
Aerio vel melle iuuat mollire parumper,
Vt via naturæ fiat faciliſque paretur.
Quòd ſi deficiant vires; nec ritè peracta
Sufficiant; tum tu Phœbi ad maiora recurre

Præſidia; antiquum gallum coque, iusq; ſalacis
Admiſto ſcyllæ ſucco cum melle propina:
Hirſutas etiam gladio præcide minutim
Radices ſmilacis, tum larga decoque lympha:
Namq; malum ſudore trahit ius omne vocato.
Ebibitum, membra attenuans, & viſcera purgans.
Quid referam, qui nec coſtum, nec molle cyperum,
Nec piper oblongum, nec te Colocynthis amara,
Nec pyrethrũ, & myrrhæ lachrymas, nec tetra verentur
Caſtorea, & Chalybis ſcobem præbere minutam?
Quippe vias audent duro penetrare metallo
Obſtructas, vt ſponte tenax, ac noxius humor
Excidat, atque ſalus accedat priſtina membris:
Ante tamen ferrum miſcent; ſubiguntq; falerno,
Addunt & ſuauem ſpirantia cinnama odorem.
Sed fruſtra, ſed erunt fruſtra conamina tanta,
Nec voto Lucina aderit, mens vnica ni ſit
Ambobus, regat vna duos ſyncera voluntas.
Gignit amor Sobolem: cum tauro prælia dura
Taurus init; iam fronte minax, iam cornibus audax
Inſtat, ſuppoſitamq; cauo pede ſpargit arenam;
At poſita mox prorſus amat feritate iuuencam.
Sæpius iratam verbis placate puellam
Supplicibus, cupidi iuuenes; fletumq; per Ora
Humida, perque genas latè ſiccate fluentem.
Nam genus eſt mulier precibus mutabile ſemper
At coniux numquam ſponſi non quærat amorem

Fida

Fida ſui: nec ſat blando ſermone morari
Difficilem, lachrymisq; ſemel reuocare decoris;
Sed niſi & aſſiduo lentum inſectabere queſtu,
Et veterem extingues flammam, ſtimulisq; laceſſes
Acribus infigens altum ſub pectore vulnus;
Heu Sobolem alterius fruſtra ſpectabis adultam,
Et lepidum amittes florem infœcunda iuuentæ.
Ergo age, quando oculi, ceu ſydera clara refulgent,
Dum nitor ore ſedet roſeus, dum tempus vtrunque
Spargitur ambroſijs, aura ſpirante capillis;
Prome dolos; tende inſidias tum dædala coniux,
Coniugij vt maneat ſanctum, & venerabile nomen
Ac fletu in primis charum exorare maritum
Tentabis; quid enim lachrymæ non pectora cogunt?
Quid referam Aenean? gemitu qui motus Eliſæ,
Sæpius, i ſine me, dixit; pete Nate per vndas
Italiam, Regnumq; nouum, quod fata reſeruant,
Propitijq; Dei, Phrygiæ diſcedite naues:
Mi ſat erit Tiriæ tantum ſeruire Puellæ,
Quid Paridem memorem, ſpreta qui ſæpe Lacæna,
Oenones fleuit fletu, doluitq, dolore?
Quid manes lachrymis motos miſerabilis Orphei?
Reginamque Erebi duram? quid ferrea dicam
Tartara? dirasque Eumenidas, Ditemq; tremendum,
Unius ob queſtum poſuiſſe ferocia corda?
Exerce mox læta choros, aut carmina Tuſci
Petrarcæ memora, Laurum qui natus in oris

Arre-

Arretinorum cecinit, qua tempora vinxit,
Hetruſcis idem clarus, Latijsq; camœnis:
Ipſe dabit Naſo voces, dabit ipſe Tibullus
Flectere queis animum, & retro conuertere poſſis.
At ſi nec lachrymis, nec verſibus ille mouetur
Durior & ſcopulis, & Ponti ſurdior vndis,
Quid niueo dubitas collo redimicula tandem
Nectere? iamq; auro nitidum diſponere crinem
Appingens? vernoq; ſinum conſpergere flore?
Haud ſecus Anchiſes ſtellata in veſte decoram
Conſpexit Venerem, præſtantem crinibus aureis,
Cùm perijt, blandoq; eſt irretitus amore:
Et venus alma fuit, pulchri Dea mater amoris.
Hæ tibi ſunt artes: naturam cogere pigram
His impunè vales, fido comes addita ſponſo.
Felix vna quidem, cunctisq; beatior vxor,
Si monitis contenta meis nil cætera cures,
Quæ malus inſtigat Dæmon, vel Dæmone plenus,
Decipiens muliebrem animum mentitur haruſpex.
Ponite vos contra dira, atq; horrenda, mariti,
Iurgia, terrificasq; minas, carituraq; fine
Bella; nec vxores temerè contemnite veſtras:
Innocuum genus vxores, nil tale merentes.
Parcite fœmineæ turbæ, ſponſisq; tenellis
Succenſere viri, trepident ne protinus illæ;
Aduerſa veluti cùm tempeſtate columbæ
Diffugiunt, natosq; actæ turresq; reuiſunt.

Nam

Nam ſic ambiguas mulier non curret ad artes
Credula, vt optati factis ſpem Coniugis æquet.
Quòd ſi tantus amor Sobolis vos tangit habendæ
Magnanimi durate viri; rebusq; libenter
Venturis deſiderium ſubmittite veſtrum.
Illa aderit tandem lux optatiſſima vobis,
Impoſitura modum lachrymis: verùm ite, mariti,
Ite viam, properate, ſacrata inuiſite templa
Interea, & donis cumulatè ingentibus aras.
Pro veterum tæda, vigili pro lampade, ſemper
Luceat hic cæra liquata plurimus ignis.
Hic genibus flexis, & aperto vertice, palmas
Tendite; namq; Deus veniet (mirabile dictu)
In ſpeciem Cereris verſus, laticisq; Lyæi,
Vt primùm extulerit vultum, vocemq; potentem,
Indutus clamydem priſco de more Sacerdos.
Tunc ſpacium vobis dabitur veniamq; petendi
Pro ſcelere, & terræ paritèr, Cæliq; rogandi
Aethereum regem, manant vnde optima dona,
Ac veluti æterno decurrit gratia riuo.
Da Pater omnipotens, gentis primordia noſtræ
Infantem, iam materna qui prodeat aluo
Exultans, primoq; domum clamore laceſſat.
Non ideo ſemper manſuro fœdere corpus
Iunximus, vt nomen nunc geſtaremus inane
Coniugis, aſt aliquem vt fructum ſpectare liceret,
Nec genus, atque domus caderet radicitus omnis:

Non

Non magicam tentamus opem; nec fidimus herbis:
Ah valeant quæcunq; putant, quæcunq; loquuntur
Mortales, renuente Deo: nam ſemina reddis
Tu ſolus fæcunda; tuo mens acta per auras
Noſtra venit iuſſu, mox hoc ſe corpore miſcet,
Immortalis adhuc morituris addita membris.
O tandem ſine te exoremus; plurima quamuis
Stent contra delicta, vetant quæ tangere metam
Optatam, lætisq; procul ſucceſſibus arcent:
At miſerere precor, dubiaq; in nocte iacentes
Syderea noli nos demum explodere ſede,
Præteritam oblitus vitam; iamque aſpice mentem,
Illo, quo ventos placas; quo nubila pellis,
Vultu, ac ſupplicibus clementior annue votis.
Hæc vbi dicta dabunt; tenues ſe tollet in oras
Vox pia, par celeri flammæ, volucrique ſagittæ:
Quam ſi pacata rector candentis Olympi
Excipiat demum facie, lætusque ſecundet:
Ex templò totos deſcendet fuſa per artus
Mens, ac ſeminibus iactis miſcebitur vnà,
Dum coniux fœturæ habilis reddatur amata,
Et grauiora trahat deuexi pondera ventris.
Iamq; adeo, vt cupido quamprimum gaudia ſponſo
Prædicas, mulier, pleno lætiſſima ventre:
Accipe: nam paucis perſtringam ſingula primùm
Signa, quibus dabitur certò genitalia ſcire
Semina non agro fruſtra commiſſa feraci:

Poſthinc

Poſthinc digreſſus, morbos, & monſtra docebo,
Ancipiti nuptæ caſu quæ pectora turbant,
Speq; virum vana ludunt, & pondere inani.
Principio, nullum ob morbum, de more fluentes
Areſcunt amnes; ſubſiſtit menſtruus humor,
Ima petens uteri, formandis aptus alumnis.
Nec mora; paullatim ſponſæ vis illa reſidit
In Venerem, mentem quæ plurima nuper agebat;
Fitq; minor: vultum interea non amplius ille
Purpureus quondam tingit color: illico pallet;
Vt Sol, nigra caput quando inter nubila condit
Aureus, vtq; roſæ, turbo quas protinus ortas
Suſtollit rapidus cum Phœbi lumine primo.
Nunc papulæ diræ inſurgunt, nunc ora ſalaces
Læuia deformant vari, labijque capilli
Incipiunt, auroq; caput rareſcere abacto.
Tum niuei liuent vngues manuumq;, pedumq;:
Redditur auditus grauior; ſubit aſpera tuſſis,
Pulmones angens miſeros, ictuque frequenti
Deficit infelix thorax, iam crura vacillant,
Iam caput aſſiduè dolor vrget, tempora nutant:
Nec iam ſtare loco dentes, atque ordine, norunt.
Deformes adſunt vomitus, emanat ab ore
Humoris flumen vitrei magnum, atque moleſtum
Horret quinetiam corpus, gelidumque tremorem
Percipiunt altæ concuſſo pectore mammæ.
Mox ſtupor inuadens nigra præcingit vtrunque

Nube infra, ſupraq; oculum, preſſæq; veterno
Palpebræ fugiunt nitidi ſpectacula Solis.
Ecce autem noua defeſſos ſimul aggrauat artus
Segnities, ſtratoq; iacet mæſtiſsima duro
Noctes, atque dies mulier; cupit vſque iacere
Fœmineas oblita artes, non ſedula penſum
Nocte ferè tota vigilans producit, vt ante.
Immo opere in medio labuntur lumina, ceruix
Defluit, & victæ deuexo pondere palmæ.
Nec verò, cùm dura altus ſopor irrigat oſſa,
Deformes abſunt laruæ, nec viſa, quietem
Horrida quæ frangunt dulcem, lethumq; minantur.
Quid referã, quibus excruciant mala tormina ventrem?
Et lumbos, dorſumq; labor? queis abdita motu
Corda micant? flammaq; cutis propiore caleſcit?
Illa ſiti vexata graui labentia quærit
Flumina: non alto deductus tramite riuus,
Non fons, rupe cadens, arentia temperat ora
Præcipuè in ſomnis ſubit humida Gangis imago,
Euphratisq;, Indiq;, Padi, Niliq; ſuperbi,
Vnda Subit Romam longo deuecta labore
Paſtoris Sixti, totus quem Mundus honorat.
Hæc epulas odit lautas, procul omnis edendi
Ceſsit amor, faſtidit aues, pinguisq; ferinæ
Fercula: nequidquam piſcator retia tendit
Piſciculis, nitido ſub gurgite nantibus Arni.
Nequidquam Populus ſacra Soractis ab alpe

Deſcendit, viridi redimitus pallade frontem,
Aeratoq; arcu ſetoſum interficit aprum
Veientum in ſyluis: nequidquam terra Sabina
Sole exſiccatas lentis fert cratibus vuas.
Intyba quin etiam rudis, agreſtiſque puella
Vociferans huc, atque illuc, per compita, fruſtra
Mixta thimo, atque herbis varijs, venalia geſtat.
Contemnit ſeu Creta cibos, bimariſq; Corynthus,
Seu læta Italię regio, ſiue India mittat,
Siue peruſtus Arabs; in qua regione beata
Extat odoratum thuris nemus, extat amomum.
Atque oritur Phœnix, iterumq; emortua viuit,
Exuuijs ſumptis alijs, pennaque recenti.
Illam prćterea nil dulcia liba morantur,
Ex ouis confecta bonis, mixtoque liquore
Mellis arundinei; Bacchi non pocula plena
Amiſſum penitus guſtum, non cruſtula quondam
Iucunda, aut teneræ poſſunt reparare placentæ.
Mitia poma licet paſſim ferat arbor onuſta:
Vna tamen cupidis deguſtat faucibus, acri
Quæ videt in menſis, & acerbo prædita ſucco;
Immaturam vuam, corna, & ſylueſtria pruna,
Meſpylaq;, Heſperidumq; hortis notiſſima mala
Aurea; quæque ardent, diſciſſo cortice, poma
Punica, millenis etiam grauida ipſa pyropis:
Quæque tegunt pallore genas, aluùmque fluentem
Ante cibum cohibent, referuntque cydonia tela,

 Vnde

Vnde genus, nomenq; trahunt, cùm ſtipite pendent
Sentibus armato, diro ſaturata veneno:
Prætereo, quas tangit amor maleſanus edendi
Sal, paleam, fœnum, ſalientes littore piſces,
Argillam tenuem, crines, & foſſile vitrum,
Et marmor, tophumq; grauem, lateremque lutoſum,
Carbonesq; igni raptos, cineremque ſalacem,
Oſſaque, pallentemq; ſimum, vomitumq; cientes
Semiputres fungos, & rancida ſalſamenta.
Hæc infans dat ſigna tener, dum matris in aluo,
Non perfectus adhuc, concreti ſanguinis inſtar,
Atque ouo ſimilis, tunicis concluditur arctis.
Mox in proceſſu charæ manifeſtior offert
Se matri, membra indutus, quorum indiget vſus.
Tum verò teneras palmas, & lactea pandit
Brachia, ſanguineosq; pedes conuertit in orbem.
Protinus exiguus tacito ſub pectore motus
Percipitur; qualis digito cùm vellicat aurem
Nutricis, ſummamuè legit puer ore papillam,
Interea ſenſim nuptæ grandeſcere corpus
Incipit; inſolito iam turgent ubera lacte;
Iamq; tepens udo gremium latè imbre madeſcit;
Non ſecus ac pratum, rorem cùm mane ſalubrem
Matutina Venus ſpargit, Phœboq; peruſtas
Heſterno guttis herbas colluſtrat amicis.
Denique porrigitur longè, lateq; rotundus
Inferior venter, fœcundo ſemine felix;

Iamq;

Iamq; latus, lumboſq; grauat penituſq; propinquum
Lucinæ tempus ſignis oſtendit apertis.
Ne qua tamen, ſobolis decepta errore futuræ,
Decipiat ſponſum egregium, mendaxque vocetur;
Tempus & humorem tenui ſub pelle latentem;
Viſceribuſque diu detentum noſcere flatum;
Et quando, ſponſi corrupto ſemine, fiat
Illa incompoſita, atque rudis, properataq; maſſa
Sanguinis, interdum longos geſtata per annos,
Quam dixere molam; ſaxo quia dura terenti
Frumenta aſſimilis, triſti grauat ilia ſenſu:
Monſtrum informe, anceps, mentitæ prolis imago.
Sed non hic fuerit varios inquirere morbos,
Ipſe quibus tumuit venter, neque dicere cura
Abſtruſas prima repetens ab origine cauſſas;
Difficilis, longuſque labor, non vtilis eſſet.
Tantùm pauca loquar, veterum veſtigia Patrum
Obſeruata legens; ſummo ſic ore cacumen
Libat Apis florum; diſtendit nectare cellas
Interea, cæra componens tecta ſequaci.
Eſt in ſeceſſu totius corporis amplo
Molle iecur, dextra thoracis parte locatum,
Regales contra turres, & mœnia cordis.
Huic, ortu à primo, fœtæ genitricis in aluo.
Officium natura dedit, vireſq; creandi
Sanguinis, augendis, & alendis partibus apti.
Ergo omni cura magnæ mandata parentis

Exequi-

Exequitur; ſuccosq́; trahit, retinetq́;, coquitque,
Ac reliquis demum, perfecto munere, membris
Diſtribuit, pingui fœcundans omnia riuo:
Feruet opus; datur aſſiduo mora nulla labori.
Sin morbus fortaſſe aliquis, caſusuè proteruus
Incidat, vt tanto vires in viſcere fractas
Obſidione premat longa, mutetque vigorem
Sanguificum; nimium, heu nimium; pro ſanguine puro,
Pro dulci vitæ theſauro, noxius humor
Gignitur; is venas ſenſim diffuſus in omnes
Debilitat motum primùm, roburque retardat
Membrorum, demumq; aucta fit mole ſuperbus.
Protinus inferior, ſucco diſtentus aquoſo,
Inflatur venter, tumidæ teſtudinis inſtar;
Inque dies auctus, digito ſi forte prematur,
Aut ſonitus edit magnos, ſeu tympana rauca,
Aut pelagi in morem clamoſa fluctuat vnda,
Aut foditur, ceditq; volens, altèq; cauatur,
Sicut gleba putris, durum perpeſſa ligonem:
Vix demum longo poſt tempore ſponte recurrit,
Deleat vt prorſum infixi veſtigia tactus.
Tum verò facies, roſeo viduata colore,
Buſoni turget ſimilis, dum forte venenum
Ore iacit, fœdumque procul diſpergit odorem.
Deficit infelix mulier, nec brachia tenta,
Nec pondus ſufferre valent graue languida crura,
Præ tumidique pedes: torpent ad munia, torpent
Artus

Artus inualidi: fauces heu flebile dictu)
Difficilis vexat, thorace attractus ab imo,
Spiritus, atque ſitis nulla ſedabilis vnda;
Et tremulum corpus vitam vix ſuſtinet ægram.
His vapor, atque humor ſignis ſe denique prodũt.
Hinc, mulier mentem ad durum conuerſa tumorem
Abſtruſum in latebris vteri, cognoſcere carnem
Informem, & certis tenta præſciſcere ſignis.
Principio ſanguis, nonnullis ante diebus,
Supprimitur penitus, gemino quem menſtrua cornu
Luna ciet, ceßatque prius, quam turgeat aluus.
Extemplo macies totum fœdiſſima corpus
Occupat; & longè maiori pondere preßus,
Quàm cùm maturum Lucinæ tempus, & hora
Inſtant, erumpat dias vt fœtus in auras,
Durior ad tactum venter, grauiorque videtur.
Tum dolor immanis, circum præcordia fuſus
Ima grauat, lapidi ſimilis, quo farra teruntur,
Quem torquet rapidus violento vortice torrens.
Nec facies nitidum penitus mutata colorem
Conſeruat; flos ille perit; cadit ille iuuentæ
Fœmineus vigor, atque ardens in pectore virtus:
Nec motus, vel ſenſus adeſt in corpore, qualis
Percipitur, grauida fœtus dum viuit in aluo,
Diuerſos huc, atque illuc glomeratus in orbes;
Idq; poteſt vxor præſaga mente fateri.
Contemplator item mammas: nam ſigna daturæ

Sunt

Sunt manifeſta palàm; nec vanas dicere quiſquam
Audeat, aut ficto mendaces nomine mammas;
Vnde hauſit crementa Puer, moresq; priores.
Scilicet elata primùm modicè que tumentes
Apparent; paruo interea poſt tempore pendent
Deiectæ niueoque elanguent pectore mæſtæ.
Tum ſinus, heu quondam roſeus, nunc triſtis, & æger,
Ploranti compar, mæret: ſtant prolis alendæ
Immemores, lactisq; ambæ ſine honore papillæ.
Præterea; natis quæ præſidet alma creandis
Exulat alma Venus, Veneriq; accepta voluptas.
Ipſa fugit ſecura quies, choreæque, iocique,
Aſpectu gratæ formæ: fugere ſereni
Orbe dies toto: reſtant non gaudia, reſtat
Non ſuperata fames dapibus; ſitis arida ſolùm
Sollicitat fauces, gutturque fatigat anhelum.
Quid partus memorem infandos? quid monſtra relat
Horrenda, in ſpecies cùm ſe Caro verterit omnes
Deformis, portentifico ſpectabilis ore?
Illa gerit fœtum pedibus, rictuque canino;
Hæc longum prono reptantem uentre colubrum:
Illa ſui ſimile, atque oculis trepidabile monſtrum,
Dentibus infrendens rabidis, ſetisque ſuperbum:
Hæc Minotaurum peperit, nec prorſus inanis
Fabula Paſiphaës, mixtam, ancipitemque figuram
Corpus habet bouis, atque viri: fert illa loquacem
In lucem ranam, viridem fert illa lacertum.

Quid,

Quid, quæ ſemiferum? quid, quæ Delphina recuruum?
Quæ murem connixa grauem, caudaq́ue tremendum?
Plura quidem varijs veſtita animalia formis
Diuerſæ generant; ſeu rerum hoc poſſit imago
Efficere, vxoris ſubijt cùm plurima mentem;
Seu vis materiæ temerè quandoque feratur
Huc illuc formæ turbans veſtigia certa:
Siue Deus ſponſas iubeat nunc pendere pœnas,
Ac veterem primæ lapſum delere parentis.
Heu quæ damna tulit mundo? quas Eua procellas?
Eua, malum commune viro, nuptæque parenti?
Nam neque erat gelidis ignis contrarius vndis
Ante; neque immenſo tellus certabat inani.
Cuncta ſuis ibantque modis, ac limite certo;
Inq́; vicem domino ſtirpes, elementa, feræq́ue
Parebant homini: dirum non dum improba ſerpens
Ore ſuum, nec praua ſuum dabat herba venenum.
Aſpera canities aberat, triſtisque ſenectus,
Atque dolor, morbique graues, peſteſque malignæ:
Non odium, non pallor erant, terrorque, pudorque,
Nec curæ dulcem aſſuetæ turbare quietem.
Mors aberat longè, quæ nunc ſecum omnia portat.
Vna fuit mulier caput, ac regina malorum,
Arboris auricomæ vetitum decerpere pomum
Auſa olim, blandiſque virum ſubducere dictis
Ingratum, immemoremque Dei, nil tale putantem.
Tum Pater omnipotens ambos, nuptamque, virumque

Finibus eiecit regni, & felicibus Aruis;
Pro ſcelere admiſſo flentes, pro talibus auſis.
Exilium infelix homini, tenebræque parantur,
Pallentes orci tenebræ, gemitusque, laborque,
Morbus, & una Comes morbi deformis egeſtas.
Ex illo ſegetes, tellus quas ſponte ferebat,
Hirſutis angi tribulis, lappisq; proteruis,
Cæperunt, manuumq; ſatæ prodire labore.
Obſedere roſas ſpinæ, loliumq; colonis
Obfuit inſanum, & vepribus paliurus acutis,
Et ſterilis viciæ, & vilis prouentus auenæ;
Vineaq; ingemuit percuſſa ab grandinis imbre.
Hinc fremere auditur lethum, ferrumq; pateſcit
Viſceribus terræ egreſſum, virusq; nefandum.
At ſolio tandem ſtellati rector olympi
Immiſit natum nobis, Hominemq;, Deumq;,
Morte ſua nos æterna qui morte receptos
In partem, & regnum ſupera ad conuexa vocauit;
Inſtituens legem, cunctis mortalibus æquè
Seruandam, dum vita manet cum corpore nexa.
Sed ſponſam duros parientem ferre dolores
Iuſſit adhuc; ſignum tantæ memorabile culpæ.
Nec ſatis: Heu fœtum luget nunc lumine caſſum;
Nunc immaturum partu connixa ſiniſtro
Ingemit; interdum monſtra educat horrida ventre,
Interdum carnem informem: ſtant mente repoſta
Tradita poma viro, ſpretæq; iniuria legis.

Gynęcyeſeos Libri Primi finis.

AEMILII VEZOSII ARRETINI GYNAECYESEOS,

SIVE DE MVLIERVM CONCEPTV, Geſtatione, ac Partu.

AD ILLVSTRISS. D. D. LVCIVM SABELLVM, & Claricem Palumbariam Coniuges.

Liber Secundus.

Antonij Blondij Arretini Argumentum.

HActenus vxores; vtero canit inde gerétes:
Quid faciant primùm? ſtatio quæ cui-
que paranda?
Quæ domus? vt caſus valeāt arcere propinquos:
Quæ ratio victus? ſtudio quo denique corpus
Detineant, animumq́; nimis ne torpeat æger.

HActenus vxorū cultus; artemq́; parandi
Progeniem optatam; nunc dulcia pon-
dera matris
Fœcundæ, vitamque cano, moresque ge-
rentis.
Gratum opus eximijs nuribus, cupidisque maritis.
Vos igitur, delecta manus, ſi certa voluptas

 Venturi

Venturi generis pectus, ſi gloria tangit;
Fœminei properate chori; mecumq; libenter
Pergite magna decem ſuperare incommoda menſes.
Ardua non mentem perterret meta laboris:
Ire libet; quando penitus dant ſydera lucem
Ingentem, votisq; venit Lucina vocata,
Quò me fama rapit, laudumq; arrecta cupido.
Mox verò lætusq; domum, patriamq; reuiſam,
Primitias mecum referens; paruumq; iuuabit,
Poſt partum, pedibusq; ſimul, manibusq; videre
Reptantem tremulis, & prono pectore fœtum.
Occurrent apio crines, herbisq; Sabinis
Tyrrhenæ matres patrio de more recinctæ;
Et centum in medio ſtatuent ſpectacula circo,
Pro reditu; feſtis reſonabunt vocibus ædes.
Interea ſponſasq; graues, & clauſa ſequamur
Pignora. Da Luci facilem cum Coniuge curſum
Inclytę; dum mulier grauida ſalientis in aluo
Incipit eſſe parens ſobolis, dum plauſibus æther
Diſſultat, tellusq; nouo clamore remugit.
Forſitan hæc etiam meminiſſe arcana iuuabit
Poſt paulò monumenta, meus niſi fallit Apollo,
Et veniet tandem Proles optata virilis.
Poſtquam fœcundo genitalia ſemina ventre
Excepit mulier; tanto pro munere, primùm
Ingentes ſuperis referat lætiſſima grates;
Votiuamq; tholis veſtem, pictamq; tabellam

Suſpen-

Suſpendens, tenerò effundat pro pignore voces.
Audiat omnipotens imo de pectore prima
Vota pater, qui cuncta creat, qui cuncta gubernat.
Audiat alma parens, virgo, regina Deorum,
Gloria fœminei ſpes & fidiſſima ſexus;
Vbera quæ Nato monſtrat, manibusque triſulca
Fulmina de iuſtis aufert, ac protegit orbem,
Ne ruat in ſtygium (facilis iactura) baratrum.
Tum petat auxilium Lucinæ fœmina prægnans;
Lucinæ ſanctæ, domuit quæ ſola draconem
Terribilem, armatum ſquamis, criſtisq; ſuperbum.
Indueras talem effigiem Dux efferus orci,
Fœmineam ratus hac iterum ſe ludere mentem
Poſſe, genusq, hominum captiuum in Tartara ferre.
Non tulit aſpectum virgo ſanctiſſima tantum:
Sed cruce, qua noſtram ſuſpenſus ſponte ſalutem
Ante Dei natus reparauit, freta repente
Eripuit ſe Hoſtis viſu, fraudemq; retexit.
Ille catenatus collum, ſquamoſaq; terga
Suppoſuit Diuæ plantis, victricis, & aſtum
Exuit, haud tali poſthac ſub imagine viſus.
Ergo mane nouo, quando fert ſacra Sacerdos
Ritè Deo, Templum ſupplex venerabile poſce;
Depoſitaq; illic vitæ iam labe priori,
Cum lachrymis effunde preces, iterumq, rogato,
Atque iterum tempus tutum, placidumq; ferendi.
Nec Cererem pigeat, demiſſam cælitus, ore
Libare

Libare, in corpus verſam, mirabile donum;
Quod Chriſtus, veterum miſerans peccata parentum,
Clauis affigi voluit, truncoq; trabali:
Tantæ molis erat noſtram reparare ſalutem.
  Continuò tali perfectis ordine rebus;
Incipiat coniux, genitali ſemine plena,
Obſeruare modum vitæ, moremq; gerendi,
Fœturæ incumbens, vt demum menſibus actis,
Aetheream in lucem vitalis prodeat infans.
  Ante alia; inueniat, quæ ſit bene commoda, ſedem;
Excelſo non monte ſitam, quam ſæpe minaces
Obſideant Auſtri; non in conualle profunda;
Vnde graui tellus nebulas exhalet hiatu;
Sed modicè elatam, ſurgentis limina Phœbi
Quæ ſpectet, vultumq; tuum, Titonia coniux.
Nec ſtabulent vicina nimis, ne fœdior æther
Influat, hircorumq;, boumq; armenta; nec adſint
Fœda palus, pigriq; lacus, & putida ſtagna,
Nuper vbi nitidas linum corruperit vndas,
Sintq; procul ſordes, cœnum, maleolenſq; cloaca,
Et pecudum delapſa, canumq; cadauera tabo,
Arboribusq; ſpecus ſeptus, tutusque tenebris,
Quem iuxta nequeant volucres impune volare.
Præcipuè caueat, ne, qua mala ſtercora fœtent,
Ne, flammas qua ſulphur agit, nigrumq; bitumen,
Sit ſtatio: Matri nocuit dum pondera ſeruat,
Seminibus nocuit clauſis tam peſtifer aer.

Quid

Quid tumulos hominum referam? quid aperta repente
Horrea? quid paſſim naſcentia gramina dicam,
Quorum ædes, tetróq; ſoli vitiantur odore?
At mulier prægnans auertat funera tectis
Tanta ſuis; puras flabello ſuſcitet auras.
Inde procul; cùm lana recens, crinesq; cremantur,
Euolet, aut, tenebras infert cùm extincta lucerna:
Idæasq; pices, detractaq; ventre ferarum
Viſcera, proluuie immunda fumantia, vitet:
Lædit odor fœtum teter, fœtamq; parentem.
Arceat hinc longè famulas, ſeruósq; proteruos,
Plena quibus ſunt labra mero, queis allia dura
Sæpe grauem rèddunt animam, bulbíque recentes.
Profuit & pingui, cum mane cacumina ſumma
Auricomis Phœbi radijs vbicunque rubeſcunt,
Thure domum ſuffire omnem, nigrasq; cremare
Iuniperi baccas, & odori fruſtula mali:
Profuit extractumq; roſis, & flore liguſtri,
Siue Citri, laticem, manibus diffundere plenis;
Ac faciem, niueúmque ſinum, pectusque rigare.
Exin præcipitant altis cùm montibus vmbræ,
Ac placidum inuitant nocturna crepuſcula ſomnum;
Haud mihi diſpliceat nymbo conſpergere florum
Stragula, ſublimemq; torum; ne tenuia lina
Exigui teneant pulices; neu putida cimex,
Expectans vmbras, & opaca ſilentia noctis,
Inquinet infeſto totum pædore cubile.

Nam

Nam Pater eſt Aer rerum, cordisque calorem,
Quo nunc quiſque viget, vitali refficit aura;
Lethiferos idem morbos, idemq; ſalutem
Fert homini, toto quando ſe corpore miſcet.
Hunc igitur nitidumq; tibi, clarumq; parato;
Ac ſine labe domum, purus quam verberet aer;
Si te tanta mouet venturi gloria partus.
Tum vulgi clamore procul, ſtrepituq; rotarum
Horriſono, Domus interior ſecreta petatur:
Nec graue ſit quadris vitreas operire feneſtras;
Mugitus ne forte bouis, clangorq; tubarum
Fœtibus obtundant aures, aut corpora perdant.
Magnus obeſt ſonitus; ruptis vel nubibus æther
Intonet, ingenti cælum quaſſetq; fragore;
Aerea terribiles edat vel fiſtula bombos,
Liuentem explodens globulum, piceamq; fauillam.
Obſtupui; vt vidi multa fabricata virum vi
Tecta labare ſono; quando vel nubila pulſant
Arces aeriæ, vel pellunt finibus hoſtem.
Vidi incluſa cauis etiam cùm turribus Vrbis
Aera cient Proceres ſonitu, coguntq; Senatum,
Turbari grauidas, genitumq; elidere fœtum.
Præterea inſolitam, ingentem dant Templa ruinam
Audito tonitru interdum: de culmine ſummo
Corruit, & cæli feriebat ſydera moles.
Quid? cùm Bombices iam tenuia vellera ſerum
Ore vomunt, moro ſaturæ, vel frondibus vlmi?

Si tonet,

Si tonet, expirant diſrupto corpore vitam.
Nec ſtrepitu facto diffindi poſſe putatis
Corpora, quæ tenuis cælat lactentia venter?
An ſilices, durumque gerant in pectore marmor?
Eheu quot fœtus perierunt Matris in aluo,
Ceu flores, niueo decerpti virginis vngue,
Ante diem; ſimul ac litui, vel tympana raucum
Increpuere; iubet cùm Rex in prælia ferri
Agmina, miſceriq; acies, ſtructosq; maniplos?
Scilicet interdum tantùm læduntur Aſelli
Voce incompoſita infantes, tractisque catenis,
Aut clamore alto; quantum dulcedine capti
Harmoniæ, ſonituque lyræ, fidibusq; trahuntur.
Hinc Hominis vitam quidam conſtare putabant
Harmonia, corpusque mori, penitusque repente
Diſſolui, quando morbo, vel ſponte ſenecta
Organa diſparibus iunguntur diſſona ſuccis.
Nec ſonitus tantùm tectis arcere tremendos;
Sed tempeſtates ſubitas, Aeſtumq;, hyememque,
Improuiſum imbrem, tempus variabilis anni,
Si ſapis, & lethi tot certa pericula diſce,
Quæ tibi, quæq; oneri impendent, caſtiſſima coniux.
Sic nautæ ſcyllam vitant, rabidamque Charybdim,
Infenſos ipſis ſcopulos, ratibusque picatis.
Sic etiam timidi nymbos, eurumque furentem
Agricolæ vitant, armentaque tuta recondunt
Sub ſtabulis altis, dum temperet Aeolus iram.

Frigidus in primis grauidæ contrarius horror
Vitetur, concreta gelu cùm flumina triſtis
Durat hyems, colleſque tegit candore niuali;
Cùm rapidos cælo deturbat Iuppiter imbres:
Continuò plano confligunt æquore venti;
Hinc Auſter, Boreas illinc contrarius Auſtro
Egreditur Scythicis antris, victorq; tryumphans
Perfurit in nebulas; & flabris aera verrens
Horriſonis, vaſto rotat, atq; agit impete quercus.
Nonnè vides molles, tepido ſub ſydere tauri,
Vere nouo, flores, tellus quos educat alma.
Vitalem gremio ſuccum, roremque miniſtrans;
Si Boreæ inuadat vis effera, protinus ægri
Vt languent? vt quiſq; ſuis areſcit in herbis?
Aſpice præterea, quoties ſpe ludit inani
Agricolam, dum prata virent, dum pullulat arbos,
Serpentem vitem: tenero nam palmite gemmas
Protrudit; tum pampinea ſe protegit vmbra,
Abſcondens florentem vuam, lentoſque racemos.
Ecce repentinis nigreſcit nubibus æther:
Triſte ſonant Auſtri, pluuiaque ictuque laceſſunt
Aſſiduo, motiſque fremunt auiaria ramis:
Marcent arua: cadunt ſegetes; plantæque madeſcunt.
Ilicet effracto procumbunt vimine vites;
Intereunt fœtus; dulci viduatur honore
Vinea, palmitibus deſolatiſſima lapſis,
Amittitque comas, atque inclinata recumbit,

Extin-

Extinctam primo flens prolem in limine vitæ.
Talibus exemplis ventos, hyememq; niualem,
Euentus anni varios, & nubila cœli,
Præmonitæ diſcant grauidæ vitare parentes;
Dum nec pauperies obſtet, nec firma voluntas
Coniugis, aut feruens offenſi Cæſaris ira.
Nam tenerè molli dum conſtat ſanguine fœtus,
Aſſimilis flori de ramo penè cadenti eſt
Vi pluuiæ, aut venti: verumtàmen horrida quando
Aduentare vides mulier penetràbile frigus;
Effuge, teq́ue domo celer interiore reconde.
Hic focus algorem vicino temperet igne:
Fabellas tum narret anus, tranſactaque laudet
Tempora: nec clauſo diſcede hinc limine, donec
Lampade purpureus terram Sol luſtret opacam
Auricoma, penitusq́ue maris vada ſalſa quieſcant;
Ac rigidus ceſſet venientis ſibilus Euri.
Nam quid agat tenui ſeptus munimine venter?
Aut quæ perfugia inueniat, pugnantibus auris?
Quònam dulce loco pignus connixa relinquat?
Noxia quin etiam ſeruentur tempora Lunæ:
Quæ facilè, certisq́ue potes perpendere ſignis:
Namq; nocent; ſeu plena micet (quod cernitur inde,
Octipedem gelidis cancrum creuiſſe ſub vndis
Si uideas, atque aucta noua conchilia carnè)
Seu lateat, luſtretq́ue poli conuexa bicornis.
Effuge confeſtim mater, teq́ue aere tali

 Eripe,

Eripe, progeniemq́ue tuam; totidemq́ue ſagittas
Eſſe puta radios, ſubluſtri nocte micantes.
Multum Luna ſolet mutare, & lædere corpus
Humanum: quia vel motu, vel lumine nobis
Eſt vicina nimis: gelidæ conformia lunæ
Præterea ſunt noſtra magis terreſtria membra,
Quàm pecudum, et volucrum ſudum per inane meaniũ:
Nos ideo violenta premit, citiusq́ue laceſſit,
Illam igitur partusque hominis dixere poetæ,
Conceptusque Deam; lucem cùm ſola miniſtret
Seminibus ventre incluſis, nocteḿque reſoluat.
Auxilio cuius, fœtus iam menſe peracto
Integer apparet, cæca detentus in aluo:
Longius ipſa licet ſpacium fœmella requirat.
Hinc etiam; poſtquam bis, ternè repleuerit orbem,
Percipitur primus reuoluto pondere motus;
Feruet opus, membra emergunt, quæ poſtulat vſus.
At noua, cùm decimæ complent ſe cornua Lunæ,
Egreditur ſoboles vltrò vitalis in auras,
Replet & argutis tectum vagitibus amplum.
Præcipuè verò pueros, vteroque latentes
Luna premit fœtus, cùm lumine plena recenti
Sanguine diſtendat nil ſanguinis indiga membra.
Nec ſol ipſe minus ſpem ventris proterit omnem
Igneus, herbiferos vrit cùm lampade colles
Ardenti, mediumque tenet non ſegnis Olympum.
Præſertim paribus radijs dum flumina ſiccat

Syrius,

Syrius, atque altis reſonant querceta cicadis.
Omne genus pecudum languet tum protinus; omnis
Aret ager: dulci moriuntur in arbore fruges;
Intereunt plantæ: nequidquam vinea cœlo
Supplicat, vt largum ſitienti præbeat imbrem.
Magnanimus quondam ſonipes iacet æger, & herbam
Deſpiciens, gratam olim eſcam, diſuerberat auras
Calcibus; haud ſonitus audit, vocemque tubarum;
Amplius armorum flictum, nec tympana curat.
At blandus quatit ora canis, tugurique ſuiqu
Oblitus domini, in media procumbit arena: e
Non lepores vltrò, non dirum quæritat aprum,
Dum ſitiens latices, atq; aera captat opacum.
Namque canis maior, ſtellaque nocentior omni
Regna tenet, rabiem expirans, morboſque malignos:
Quo tutè præſente manent uix æquore piſces;
Vix udæ, quæ ſtagna bibunt, & flumina Nymphæ.
Omnia tabeſcunt acri perculſa calore.
Hoc igitur crudele tuo cum pignore tempus
Effuge, chara parens: lethalem pellito ſolem;
Rura beata petas; Zephyris hic antra ſecundis
Plena dabunt robur, fallent vterique labores.
Nam ſine coniugio, tepidis ſpirantibus auris,
Nonnullæ creduntur equæ (mirabile dictu)
Concipere, & vento ſimiles producere pullos;
Qui ſuperent ceruos, & mobilitate ſagittas.
Credibile eſt ergo multum quoque creſcere fœtum,

Atque

Atque vigere magis, quamuis ſub ventre latentem,
Cum placidæ ſpirant auræ per florida prata.
Manſuetas hic inter oues, ſimasque capellas,
Agreſti curas longum ſolabere Muſa,
Sub fago patula recubans, aut ilice denſa.
Mos eſt hic auium; poſita quæ ſede priori
Nidificant alibi, quam murmurat aura Fauoni;
Nec radij ſolis, nec obeſt his algidus horror.
Nequa tamen funeſta tibi nucis vmbra caueto:
Officiat, feralis vbi flet gutture coruus;
Nec te præterea taxus, vel pallida buxus
Detineant: vis eſt illis innata nocendi:
Ipſa dabunt paſſim ramis frondentibus vmbram
Robora, glandiferæ quercus, oleæque benignæ,
Atq; abies, ſemperque virens Parnaſia laurus;
Populus æſtatem pellet, quæ flumina propter
Infœcunda iacet, pellet fronde vlmus opaca;
Cui tremula vxores texunt vmbracula vites.
Interea, ſeu triſtis hyems, ſiue ingruat æſtas;
Dum Phœbus, vel Luna Poli ſupera alta tenebunt,
Viue domi coniux, neglecto coniugis vſu.
Parcendum Veneri eſt, creſcant ut lactea membra,
Dum formatur adhuc materna fœtus in aluo.
Hic potius menſas epulis inſternere lautis
Cura ſit, & Bacchi cellas aperire probati.
Caſtaneas, coryliique nuces, glandesque ferarum
Agricolis penitus duris, veterique relinque

Aetati,

Aetatì, ſiue elixas, ſiue ignibus aſſas:
Namque cibos, moresque alios alia exigit ætas.
Sint Cereris flauæ tantùm tibi munera cordi,
Arte laboratæ Cereris, quam mucidus humor
Nec violet, nec edat caries, ſine furfure craſſo,
Igne ſatis toſtæ, & manibus ſatis ante ſubactæ.
Abſint lethales, agreſtia fercula, fungi,
Atque olera, & duro meſſorum grata palato
Allia, cæpa ſalax, bulbiq;, & ſectile porrum.
Sint longè triſtes lentes viciæque, fabæque;
Nec fructùs laudem æſtiuos, qui tormina ventri
Sæua ferunt, ſimul ingeſti, qui ſponte putreſcunt;
Vt ceraſi dulces, vt ſunt malumque, pirumque,
Arbutei fœtus; acidis vt proxima ſorbis
Meſpyla, quæque aurum referunt nunc pallida pruna,
Nunc ardent, flammaque micant imitante pyropum,
Solùm nectareæ ficus, & penſilis vua,
Pomaq;, quæ lybicis aduecta putantur ab oris,
Labe carent, fructusq; gerit quos phyllidis arbos.
Cætera quæ ſucco nimium ſaturantur amaro,
Palladij fœtus, non largo flumine victi,
Vitentur; cinaræ hirſutæ, triſteſq; lupini,
Liquentiſq; fraces olei, fæceſque Lyæi
Corrupti, viruſque malum mordacis aceti:
Nam ſicut viuos, ortos in corpore noſtro,
Lumbricos prædicta necant, ita pignora parua
Implicitos etiam cochleis fuge quærere mater

Limaces;

Limaces: ſine teſtudo nemora auia luſtret,
Aut macie longa confectos recreet ægros.
Quippe homines rebus ſumus æquè, & paſcimur iiſdem.
Nonne vides, auido mater quæ deuorat ore,
Continuò ſanguis fiunt, roburque miniſtrant,
Seminibus paruis? hæc dulci ſanguine creta
Luxuriant, citiusq; volunt perrumpere ventrem.
Siqua tamen contra victu fit fœmina prauo
Vſa gerens vterum; proh quanti corpora torquent
Infantum, vitæ primo ſub limine, morbi?
Iam veniunt turpis macies; & tabidus hydrops,
Luridaq; inuadit ſcabies; nec fœtida deſunt
Vlcera, deformi latè manantia tabo.
Ecce tremor currit ſubitus per membra tenella:
Concutitur corpus miſerorum, ceu ſolet arbor,
Quam boreas agitat, ramos auulſa comantes.
Obſedit interea linguam tumor: ipſe loquaci
Oſtendit vitium nutu, tùm dentibus infans,
Inſtar apri validi ſublapſi in retia cæca,
Infrendet, digitumque arcto mollem inſerit ori.
Quid referam, quos variolæ, tenuesque laceſſunt
Morbilli, paruosque necant? queis tuſſis anhela
Sollicitat fauces, nullo ſuperanda liquore?
His caput impletur craſſa porrigine totum
(Infelix ſimulacrum) illis, ceu nocte ſilenti
Syderibus cælum, punctis interlita rubris
Apparent, papulisque (relatu flebile) membra.

Ergo

Ergo age, ne morbis intra generentur onuſti
Fædificis nati; dapibus ſatiabere, mater,
Selectis; vt ſunt auium, quæ ſepibus errant,
Vt timidi carnes leporis, damæque fugacis.
Ipſe tibi victum vitulus, non paſſus aratrum,
Nondum ferre iugum doctus præbebit, & vnà
Sus lactens, pinguis veruex, hœdusque petulcus,
Cornigeram rauca matrem qui voce ſequatur.
Laudantur piſces etiam, nunc vitrea ſubter
Flumina labentes, nunc inter ſaxa marina,
Hærentes ſcopulis duris; quos crate calenti
Ad prunas, cypriauè coques ſartagine raptim.
His incluſa cibis nutriri pignora gaudent.
Poſtquam exempta fames; Serui ſponſæq;, virique
Eripiant ante ora torum, mora nulla, paratum;
Atque Deo referant grates ex more ſupremas:
Nam veluti nimius liquentis Pallados humor
Pendentem lychnum extinguit laquearibus, omnemque
Inductis lucem tenebris aſtantibus aufert:
Haud aliter ſumptus plus æquo corpora replet
Sæpe cibus, crudo diſtendens ſanguine venas:
Inde mali cauſſæ, diræque examine denſo
Proſiliunt febres; nec ceſſant denique, donec
Vitalem calor humorem populetur adauctus.
Nec ſpes certa datur: medici quin ſanguine miſſo
Audaces, ſæpe infantes cum matribus orco
Demiſere: cadunt parui, ſolemque priuſquam

Aſpiciant, ægri linquunt (plorabile viſu.)
Intereunt etiam matres: lux vna duobus
Fert mortem, cæſa fætus niſi prodeat aluo.
Olim victus erat ſimplex, menſæque modeſta,
Ac parcæ primorum hominum non ſegnia ſuccis
Ora irritabat ſubacerbis turba coquorum.
Tantùm lacte mero menſam, vulſiſque parabant
Graminibus, quæ terra dabat: tunc munera veſtra,
Liber, & alma Ceres, deerant: feruentibus ollis
Ficedulam indocti pinguem, turdoſque coquebant.
Propterea cunctis veniebat tarda ſenectus:
Incolumes res quiſque ſuas, in pace regebant.
Morbi aberant, Cœlique lues: ſed peſtifer annus
Nunquam perculſit tunc plurima corpora letho.
Quin donum medicina Dei mirabile, ſicut
Parua fuit, nec docta; decem vix nouerat herbas;
Penè tamen cunctos abigebat corpore morbos.
Omnia nunc verſa in peius; ſunt mille repertæ
Artes, mille viæ, reſidem quæ denique ſenſum
Alliciant epulis patrio de more paratis.
Ipſæ Nereidum latebræ, gelidique receſſus
Naiadum modò quæruntur: non regia ſalſi
Neptuni ſecura manet: piſcamur vbique
Squamigeros piſces: cæduntur grandia cete
Tormentis plumbum, piceumque vomentibus ignem;
Cæſaque ſeruantur ſale mox durata quotannis.
Piſcamur piſces etiam, capimuſque minutos,

Ac ſale condimus: ſectas in fruſtula parua
Figimus anguillas, verubusque aſſamus acutis:
Præterea pictæ capiuntur vbique volucres
Inſidijs; raræque plagæ, laqueique tenaces,
Inuenti, curuique arcus, viſcataque virga,
Accipiterque rapax, & ludicra Palladis ales.
Nec, quò more feræ telo cædantur acutò,
Nunc latet; has contra pedicas, vel cæca paramus
Spicula: ſtant rabido vallati dente moloſſi;
Stant & equi; tormenta uomunt liquidū ærea plumbū:
Terrentur nemora, horrendum tremit ictibus æther.
Quin merces etiam nobis aſportat odoras
Per mare nauta rubrum: portat ſua thurifer Indus
Munera; portat Arabs: ſaturos iam melle ſuaui
Reddit arundineo Iouis inſula cognita cunis:
Fercula nunc redolent: diffunditur aere nidor.
Et querimur, mortale genus, nos turbine tanto
Iactari? ſummumque Deum, cœlumque vocamus,
Syderaque humanis nimium contraria votis?
Quis furor? haud oculis etiam ſpectamus apertam
Vltrò nos ruere in mortem, morboſque malignos?
Aduentu quorum confeſtim infirma labaſcit
Ars Phœbi; quamuis omni ſit parte polita,
Innumerabiliumque herbarum viribus aucta?
Quare agite, ò Matres; parcis diſcumbite menſis:
Diſcite delectum monitæ, moremque ciborum,
Quem Lucina probent, & Lunæ frater Apollo.

Parte alia tenues ieiunia pallida vires
Diſſoluunt, paruoque ſolent diſcrimine abortum
Efficere; idcirco mediam ſeruare neceſſe eſt
Inter vtrunque viam: dapibus frugaliter vti
Selectis, parcè que bonum potare Falernum,
Dilutum puris è fonte fluentibus vndis.
Talibus inſiſtat monitis, dum pignora geſtat
Ventre parens; ſedeatque domi; non debile corpus.
Huc trahat, atque illuc, mimorum more plateis
Saltantum latis; intra ne ſemina pridem
Trudantur concepta foras, paruisque ligata
Membranis ſolitam perdant agitata figuram.
Imperium ſit ſponſe tuum; cui pareat vxor.
Nulla mihi longis ergo ſpatietur, & amplis
Porticibus, ſyluasque petat, ſaltusque reductos:
Nulla inquam, pedibus viſat titubantibus antra,
Aſpera vepretis denſis, obtectaque ſaxis,
Serpentum quondam latebras, pecudumque receſſus,
Solemnes fugiat plantis ductare choræas,
Dum grauis eſt vterus: ſedeat, ſpectetque puellas
Cùm ſaliunt, cythara ſonitus edente canoros.
Nec mare veliuolum teneat te vana cupido
Sulcandi: vehitur longè pulcherrima merces:
Infido ne fide ſalo: neu currere tenta
Terga premens vectoris equi; nec tollere molem
Aude; nec plenis humeros imponere ſaccis:
Nec lapidem longè baleari emittere funda;

Nec

Nec vini vectare cados : ſunt iſta colonum
Munia, vel rigida durantis membra palæſtra.
Cura ſit ancillis, ſeu nox aduentat opaca,
Siue rubra volucris caput inſignita corona
Prima dabit cantu naſcentis ſigna diei,
Surgere confeſtim, thalamoque aſſiſtere herili.
Ipſæ tum ſiccis reuocent ramalibus ignem
Sopitum, patinis ipſæ tum deinde paratis
Incipiant dominæ iuſſis parere libenter.
Dumque pauimentum verrunt; infraq; ſupraq;
Diſcurrunt; dum vaſa lauant, & fercula curant,
Corripiat ſtrato corpus caſtiſſima nupta,
Ore preces deuota Deo, lachrymasq; profundens
Poſthinc & lumbos arcte præcincta cauebit
Ire viam, viresque ſupra contendere quicquam;
Seu curru vehitur, ſeu ſchalas inſilit altas,
Seu iam deſcendit cellas procliuis aduſque
Extremas Bacchi dulcis, vel Palladis vnctæ;
Seu torto rem conatur perſtringere lino.
Quicquid agit demum, procul abſit corpore ſudor.
Non tamen omne veto ſtudium; ne forte veterno
Oppreſſæ pigro iaceant ſub pectore vires.
Haud ſecus immotæ puteis, ſi tempore longo
Permaneant, vitiantur aquæ, nec forte bibuntur:
Inſuauis fauces adeo perturbat amaror.
Ergo, ni ſedeat calathis intenta, coloque
Fœminea, pulchras inter, facilesque puellas,

Nupta

Nupta domi; lentis luſtrabit paſſibus hortos,
Floribus, atque herba pictos imitante ſmaragdos.
Pallentes illic violas, vbi mollia vernant
Paſcua, & humenti collucet gramine tellus,
Pollicibus ſummis carpat, pectuſque, comamque
Luteola pingat caltha, niueoque liguſtro;
Narciſſumque legat tenerum, gremioque reponat
Collectum; iuuenem heu quondam, nunc deniq; florem
Auricomum: tantùm formam (proh dedecus) ille
Dilexit, periitque ſuam, cùm fontis in vndis
Conſpicuis vultus vidit ſimulacra decori.
Hinc ſpectare nimis faciem dediſcite veſtram
Incautæ ſponſæ: tum demum lilia cana,
Puniceaſque roſas manſueto diſſecet vngue.
Talis ſæpe animos oblectat præda Puellæ.
Longius ire nefas; vbi pendent arbore fructus;
Nequa illas tangat guſtandi inſana libido.
Hanc veteres olim legem ſanxere parentes,
Hortorum queis cura fuit, queis gloria frugum.
His actis: animum, mentemque aduertite cauti,
Infeſtos ſoboli caſus prohibete, mariti;
Si ſapitis; dictiſque meis paulìſper adeſte.
Namque nocere ſolent interdum vaſta Cupido,
Ira furens, vertenſque timor palantia terga
Sollicitus, triſtiſque pudor, mœrorque, dolorque,
Et quæ ſpem præter percellunt gaudia pectus.
Talia, quando agitur ſolùm res veſtra, pericla

Arcete:

Arcete: iratam verbis placate benignis:
Demite terroris cauſſas; prohibete dolorem:
Eripiunt nàm ſenſum omnem, ſi cordibus ægris
Inſideant tales (dictu miſerabile) peſtes.
Præcipuè, ſucco ſtomachum vexante tenaci,
Si vetita coniux aueat dape ſternere menſam;
Rumpe moras omnes, animumq́; explere furentem
Anxius, & totis adnixus viribus inſta
Tollere, ne latè ſerpat veſana libido.
Nec fœdata nega Thysbæo ſanguine mora,
Nec mala Auroræ roſeas imitantia malas,
Nec quæ Perſarum dicuntur nomine poma.
Parcius iſta tamen præbe; ſi roſida fraga,
Si Iouis optabit glandes, rubicundaq́ue corna,
Ne prohibe; concede pyrum; concede parumper
Luculli dulces fructus: ſine cortice raſo,
Vt peponem guſtet; ne pignora mollia lædat.
Nec tibi, quòd noceant herbæ, vtcumq́; legumen,
Dum modicè accipiat, medicus perſuadeat alter.
Immò ſi cinerem cupiat, gypſumq́ue, fimumque;
Si quid mortiferum ſtimulet mordere cupido,
Quid faciat mulier? num pignora chara relinquat?
Non ita: ſed ſummis tantùm tetigiſſe labellis
Expediet, dum tempeſtas deſæuiat atra.
Interea tamen haud vllus de rebus agatur
Sermo peregrinis, quas demum nulla parare
Quantumuis ſolers humana induſtria poßet.

Neu grauidæ ſubeant animum, dum frigora regnant,
Aeſtiui fructus, horum meminiße caueto.
At ſi quid poſcat tandem, quod poſſit haberi,
Aut opus eſt illo mentem ſatiare reperto;
Aut res expetitas ſucco perfundito amaro
Abſynthi, triſtiſque aloes: ſed conſule longè,
Appoſitum ne præuideat, falſumque liquorem.
Cura vir iſta tua eſt; fidos age trude miniſtros
In nemora, in fluuios, in glauci marmora ponti;
Vt quæ Neptunus vaſto ſub gurgite ſeruat,
Quæ fæcunda parit tellus, tum denique ſecum
Aſportent, auido deſit res nequa palato.
Quid, ſi præterea Phæacum florea rura,
Alcinoi quærendi eßent, & Adonidis horti?
Aerias ſi quærat aues; age retia tende;
Flecte arcum; procul accipitrem dimitte rapacem
Vectantem prædam; virgaſque ſuperline viſco:
Nec tibi tunc deerunt turdi, ſturnique loquaces,
Nec merulæ fulicæque nigræ; non ipſa coturnix,
Non anates, veteremque canens philomela querelam.
Si piſces fortaße petat; quid flumina ceſſas,
Et pigros tranare lacus, fluctuſque marinos?
Iunge eſcas hamis; naſſas è vimine texe:
Sic polypum capies tenerum, gobiumque voracem,
Et mugilem, & percam, ſexuque vtroque carentem
Anguillam, ſcarumque, maris qui gurgite ſubter
Carpathij ſolus pallentes ruminat herbas.

Hos

Hos autem prunis guſtare ardentibus aſſos,
Vel ſaliente oleo coctos, vel flumine largo
Elixos poterit: paſſis tamen ante refertos
Vuis, atque vna tritis beneolentibus herbis.
Vel ſale duratos primùm, mox ſubter oliuo
Præteritis poſitos annis; vel denique aceto
Conditos, tenerum leuiter mordente palatum:
At pecudum ſi cura ſubit, pinguiſque ferinæ;
Solue canes celeres; ſaltus indagine cinge;
Fulmineum ſectare aprum, leporemq; fugacem.
Nam ſi rem mulier ceſſet libare cupitam;
Quo ſecuſnque loco (Dij talem arcete ruinam)
Illa manu tangit trepida, iam protinus illic
Infantum membris figit veſtigia rerum:
Dum ſemen, ceu molle lutum, quam ſuſcipit intra
Effigiem, retinet facilè, ſeruatque recentem.
Neſcis hem neſcis; quàm poſſit dira cupido,
Cùm ſubijt mentem, rerumque inuaſit imago?
Heu teneris (nec vana fides) ſimul artubus hærent
Infantis, quæ prægnanti placuere puellæ.
Vidi equidem, vidi his oculis (& credere par eſt)
Præſtantem forma puerum, cui punica fronte
Pendebant grana, innato perfuſa rubore:
Pomifero quibus Autumno redeunte quotannis
Ora micare putes, totidemque ardere pyropis.
Hunc mors ante diem (flerunt materque, paterque,
Flerunt Arniades Nymphæ Vallesque dedere

Vicinæ gemitum) letho mulctauit iniquo.
Quid memorem, quibus enatos in corpore vidi
Squamigeros piſces? illos innare per vndas
Aequoris, & laticem credas diffundere amarum.
Quid faciem Bacchi reſperſam nectare rubro?
Quam non vlla manus, non fluminis abluat vnda?
O fortunatam matrem, ſi talia vitet:
Quippe ferent, illi labentia ſydera prolem
Dilectam, quam non labes, aut næuus obumbret.
Interea, cum ventre gerit, mente affore tempus
Concipiat, quo reddat onus; puerumque tenellis
Sugentem labijs vltrò foueatque, prematque.
Tum ne ſegnities animum, torporq; fatigent,
Incipiat rerum ſcrutari exordia prima,
Interitusque, ortusque vices, cœlique perennem
Naturam, ac motum: vnde trahant ferientia turres
Fulmina, fulgoresque genus, queis emicat æther?
Vnde tot emergant pluuiæ, gelidæque pruinæ,
Rosque fluens, nixque alba tegens caput alpibus altum,
Et terræ tremor, & venti mala frigora agentes?
Quid faciat fluctus ſalſos? num menſtrua Luna
Luce ſua poſſit diſtendere ſanguine venas?
An tumidi fluxum generet maris, atque refluxum?
Cur palea electro, ferrum magnete trahatur?
Cur oblimet agros Aegypti Nilus inundans?
Cur hæc in cœlum propria leuitate ferantur,
Illa ruant deorſum terreſtri mole grauata?

An

An pariter fœtus, iacto nuptæque, viríque
Semine, formentur? num cor mirabile dictu,
Præ reliquis membris ſolers natura figuret?
Inde nouos virtus effuſa feratur in artus?
Nam ſic illa procul mundi fæx, illa malorum
Sentina aufugiet ſcelerum, damnoſa voluptas;
Immundíque aberunt luxus, medicatáque ſecum
Portabunt vnguenta grauem ſpirantia odorem.
Barbara ruſticitas aberit; nec gloria vana
Addere ſuadebit precioſa monilia collo;
Aut igni torquere comas; aut Iridis inſtar
Sidonio perfuſam oſtro protendere veſtem:
Nonnè vides cunctarum homines vt ducimur æquè
In cauſſas auidi, quærendáque ſemina rerum
Natura? quantóque animus nouitatis amore
Huc eat, atque illuc expleri neſcius vnquam?
Vix pedibus natæ incipiunt reptare puellæ,
Continuò pendent auiæ narrantis ab ore
Fabellas, dulceſque iocos; cùm deinde loquuntur;
Cùm voces audire valent, & condere mente;
Ritè volunt res noſſe ſuas, atque ordine certo;
Et cauſſas ingens eſt edidiciſſe voluptas.
Poſt vbi iam vires ætas induxit adulta
Præualidas; matris ſubeunt præcepta ſeuera,
Cunctáque non aliter quàm iuſſæ deinde faceſſunt.
Ergo diuerſas vitam exercere per artes
Incipiunt; ſeruantque domum, rectèque gubernant;

Ingenium curis acuunt grauioribus, vt rem
Aſſiduè poſſint parere, aſſiduèque tueri.
Hæc licet Idmoniæ ſtudio ſit dedita Arachnes,
Iamq́ue adeo telam radio percurrere diſcat;
Illa colum lateri appendens, iam ſedula penſum
Producat; digitis cogat, fingatque premendo,
In gyrum torquens fuſum teretem, atque retorquens;
Pars ſtudeant ferro tenuiſſima reddere lina
Dentato; pars goſſipio ſibi retia texant;
His tamen haud longo viuunt poſt tempore ſolis
Contentæ ſtudijs: verùm maiore latentis
Nixu audent Sophiæ tacitas perquirere ſedes,
Quamque datur, dulci in terris iuuat vſque potiri
Ambroſia; præſtantq́ue feris, quas corpore pronas
Aethereus pater effinxit, ne ſcilicet altè
Veſtigare animo poßent, diuinaq́ue noſſe.
  Ingenij quibus eſt acies obtuſa, laborem
Fœmineis omnem in ſtudijs, operamq́; locabũt.
At ne deſiſtant, ſeu Sol has excitat ortus,
Siue cadens blandam inuitat captare quietem,
Vnum omnes laudare Deum, vni carmina ferre
Semper, & accepto pro munere reddere grates.
Antiquam ſeruent, delapſamq́ue æthere legem,
Quam prædixerunt toties oracula vatum
Abramidum, ſummus propria quam denique lingua
Firmauit Chriſtus, verus Deus, vnica Patri
Aequa ſuo ſoboles, cuius pro numine læſo,

Vnius

Vnius ob lapſum, magnò demiſſus olympo,
Naſci iterum voluit, formamq; aſſumere ſerui,
Factus homo, diræque Crucis ſuccumbere morti:
Scilicet vt tenebris hominem, flammaque calenti
Damnatum eriperet; lethumque, Erebique tyrannum,
Telluris ſubter regnantem fornice vaſto,
Clauderet obijcibus validis, vinclisque ligaret.
Hinc ſcelere abſiſtant, mentem nec turpiter vlli
Damnoſæ tum ſorte ſinant ſuccumbere culpæ.
Ah mentem ſine labe Deus, puramque creauit,
Aethere deturbans, vt demum, mole relicta
Corporis, ad cælum pura, ac ſine labe rediret.
Huc igitur curam aduertant, ſeptenaque vitent
Crimina, quæ poſſunt homini vel ſola negare,
Perpetuæ vitæ donum, ſpectabile cælum;
Crimina quæ dextram patris armant fulmine ſummi
Horrifico, trudunt que animas ſub Tartara ſontes;
Stridor vbi multus dentes quatit, oraque mæſta,
Inter Auernales fratres, ſtygiasque ſorores.
Iam ſpe præſumant horam, tempusque futurum;
Cùm vitam, Cælo in magno, nullius egentem,
Sydeream viuent, cætu ſtipante beato
Cælituum, non mortales, non amplius ægræ:
Illico deſpicientur opes, & inania vulgi
Gaudia, ceu flores, quæ protinus orta ſeneſcunt,
Defixosque Deo vultus, animoſque tenebunt
Intentos, vitæque legent hic commoda veræ.

Expediant

Expediant iuſta interea mandata tonantis;
Aequo animo morboſque ferant, curáſque repellant;
Quam ſobolem ille dabit, læta tunc fronte ſalutent;
Fœmina, maſue fuat, nullo diſcrimine habentes.
Vtriuſque hominem ſexus Natura creauit;
Scilicet vt nullo diſcrimine viuat vterque.
Nec laudabilior, nec forſan dignior alter
Fœmineo dicendus erit, ſeu corpore prono
Geſtatur, dulci ſeu pendet ab vbere matris.
Ac licet obſcura tardè formetur in aluo
Fœmina: nulla tamen dias in luminis oras
Segnior egreditur maribus: quin protinus ortu
Incrementa ſui capiens maiora, virumq́ue
Anteuolat, nubitq́ue illo, citiusq́ue ſeneſcit:
Cùmque pater ſolùm gignat, ſemenq́; profundat,
Vna in concubitu genitrix cum ſanguine ſemen
Dat pia; gignit, alit, nono mox menſe peracto
Læta parit; ſucco demum turgente niuali
Progeniem gremio optatam nutritq́ue, fouetq́ue
Aſſiduè, donec matura aduenerit ætas.
Hanc etiam ob cauſam plus æquo ſanguine prudens,
Vt ſe non aleret ſolam, ſed pignora chara,
Si fors obtigerit, matrem natura repleuit.
Hinc pietas erga natos inſignis, amorque
Exoritur, nulli cedens: nam pendet ab ore
Sugentis pueri: noctes intenta, dieſq́ue
Inuigilat, ſtrictiſq́ue illum complectitur vlnis.

Nec

Nec dubitat gladios, quoties vis effera ſurgit
Hoſtilis contra, materna ſumere dextra
Interdum, vitamq́ue noua pro prole paciſci:
Hircanis mos iſte feris, Lybicisq́ue leænis.
Non ego, ſi vires eſſent, quibus omnia poſſem
Sydera dinumerare poli, vel gramina terræ
Littoribus, ſyluis, aruis, & montibus orta,
Fœmineas auſim verſu comprehendere laudes;
Non Clio, non Calliope, non vlla ſororum.
Dira viri manibus tractabunt fortius arma,
Credo equidem; gladijs ducent de corpore flumen
Sanguineum, cùm bella cient, Martemq́ue laceſſunt.
Excudent ferrum melius, quo machina muros
Horrida tutetur patrios, hoſtemq́ue repellat:
Diuitias condent alij, factiq́ue repente
Infectiq́, auri referent pallentis aceruum:
Neglectis alij ſcopulis tumidum æquor arabunt,
Atque alio quærent terras ſub ſole iacentes.
Tu mulier, ſi quis natura iudice certet,
Vna virum membris ſuperabis, & ore decoro,
Vna viri poteris furiatos pectoris æſtus
Comprimere, ac lachrymis adamantina frãgere corda:
Vna memor lethi ſeruabis iugera natis,
Vna tibi ſeruabis opes, inopiq́ue ſenectæ.
Quid miras animi dotes? quid munera dicam
Naturæ? niueamq́ue fidem, caſtumq́ue pudorem
Virgineum, curasq́ue æui ſub flore ſeniles?

Illa

Illa ſibi, ne fama cadat cum corpore, pectus
Sponte ſua moriens ferro terebrabit acuto:
Illa pudicitiæ præbens mirabile ſignum
Siſtet aquam Tiberis fluidam, cribroque reponet
Læta ferens ſecum ſub veſtæ nobile templum.
Ebibet illa viro cineres, tumulumque perempto
Ingenti condet ſumptu, manuumque labore,
Poſteritas quem miretur ventura, probetque.
Mœnia fœmineo Babilon conſtructa fatetur
Iamſtudio: latas illuc errare quadrigas,
Aurigæ ſtrepitum, vocemque attendit equorum.
Quis te Gracchorum geminorum ſtrenua mater,
Quis vos Penelope tacitas, & Dido relinquat?
Non tu diſceſſu, mendax vt fama vagatur,
Hoſpitis Aeneæ laceraſti corpora ferro,
Infelix, verùm audita tùm morte Sychæi:
Tantùm dilecti ſortem indignata mariti.
Quò rapitis feſſum, Volſca de gente Camilla,
Penteſilæa furens? veſtram fugiſſe bipennem
Argiuum proceres perhibent, Macedumq; phalangas:
Quò me aliæ, quibus vna fuit ſub pectore mamma,
Terribiles auſæ quondam committere pugnas,
Telaque non telas manibus tractare ſuetæ?
Quid maiora ſequar? ſunt & ſpernacia vitæ
Corpora virginibus ſanctis: nec tela, nec hoſtes
Horrent, horrendum vultu, dextraque frementes:
Audacter, quamuis nudæ, nec viribus æquæ,

Reſpon-

Reſpondent, linguis pugnant, & corde feroci.
Nec viciſſe putant meritò, niſi lumine caſſæ
Procumbant, ſancta pro relligione, libenter.
Ergo fulmineo multas ſubmittere collum
Cernere erit gladio; multas mandata tyranni
Vltro negligere, & viuis dare viſcera flammis.
Abſciſſas ferro hæc mammas, illa eruta monſtrat
Lumina; ſublimem manibus gerit altera turrim:
Illa rotas fractas, vulſos hæc forcipe dentes.
Omnes victrices Cæli in ſtatione trophæa
Conſtituunt, omnes pulchra de morte tryumphant.
Iamque manu palmam geſtant, oleamque virentem,
Reginamque hilares ſuperum comitantur ouantes.
Et dubitamus adhuc cælo ſuſtollere ſexum
Fæmineum, laude inſignem, factiſque ſuperbum?
Summe pater, qui cum nato, & cum flamine ſancto,
Regna tenes, atque aſtra colis, mundumque gubernas,
Aſpice deuotam pacato lumine gentem.
Da deinde auxilium, da proſpera vota petenti.
En ſupplex, humiliſque venit; iam templa frequentat
Fæmina, iam figit nudis veſtigia plantis,
Pectus contundit pugno, ſcinditque capillum.
Illius exaudi vocem, lachrymaſque fluentes,
Da pacem mundo, & requiem da Chriſte benignus,
Et ne prolis amor, neu connubialia vincla
Rumpantur penitus, rebus ſuccurre caducis.

Fulminat heu paſſim Mauors; dat ſæua cruentam
Dat ſtragem Pallas: miſcetur luctibus orbis:
Militiæ non coniugio tribuuntur honores.
Errat Hymen profugus: rarò Lucina vocatur;
Pulchra Venus natis minus eſt intenta creandis.
Regnandi varij ſurgunt hinc, inde tumultus:
Ipſæ bella vomunt alpes, penituſque relictis
Oebalio diſco, Lacedemoniaque palaſtra,
Rem tentant homines ſolo decernere ferro.
Ipſa gemit longo tandem certamine feſſa
Gallia; fœdifragos optat Germania Thracas
Pellere: Danubius cæſorum ſanguine turget.
Parte Dacæ pugnant alia, pro Principe, contra
Regnatorem Aſiæ, dum fortiter agmina turbant
Denſa virum, coguntque fugæ dare terga repente.
Alter Alexander princeps eſt, alter Achilles,
Aggreditur ſi forte ferum Bactorius hoſtem,
Eminus, aut valida concurrat comminus haſta,
Aut ſtruat inſidias, aut ſtricto fulminet enſe:
Quamuis lanugo vix molli aduenerit ore.
Ecquis erit belli finis? Pars maxima mundi
Cogitur Helleſpontiaco ſeruire tyranno:
Vix reliqui credunt, quæ tu præcepta dediſti.
Per te pacifici coeant in prælia reges,
Chriſtiadum; bellumque parent terraque marique,
Auxilioque tuo populum, gentemque rebellem,

Infidam,

Infidam, propria fretam feritate retundant.
Italiæ ſeſe fortis coniungat Hiberus;
Addant ſe ſocios Galli, Venetique potentes:
Tuque tuo, qui iura tenes, cui lata poteſtas
Imperij, Chriſte exaudi de nomine dictam
Progeniem: ſic illa magis tibi ſeruiet vni
Libera, felici replens hinc ſemine Terras.

Gynæcyeſeos Libri ſecundi finis.

AEMILII VEZOSII ARRETINI GYNAECYESEOS,

SIVE DE MVLIERVM CONCEPTV, Geſtatione, ac Partu.

AD ILLVSTRISS. D. D. LVCIVM SABELLVM, & Claricem Palumbariam Coniuges.

Liber Tertius.

Antonij Blondij Arretini Argumentum.

PRotinus incluſum ſignis diſtinguere ſexum
Aggreditur; quaque arte ſibi paritura Cubiclum
Inſtituat, lectosq́ue cibos, aptumq́ue ſedile:
Quæ facilem reddant partũ: quæ numina porrò
Edocet, auxilio veniant parientibus ægrè.

PRotinus euentus lætos, requiemq́; laboris
Exequar: hanc etiam, chara cum coniuge, Luci,
Quæ ſupereſt, facie pacata, reſpice partem.
Quæ vela auſpicijs veſtris, ſine remige tuto,
Explicuit, tumidisq́ue ſali ſe credidit vndis,

Geſtit

Geſtit io cymba optatum contingere portum.
Ecce, quibus tumuit maturo pondere venter,
Auſonia in magna, tentant matreſque nuruſque
Præcipitare moras: aliæ diffundere paſſim
Dona laboratæ Cereris, veteremque Lyæum:
Lucinam lachrymis aliæ precibuſque rogare,
Votaque pro partu reginæ ſoluere Cœli.
Aula puerperio reſonat, tectum omne remugit.
Pandite ſulcanti ventos, & ſydera clara
Vos quoque propitij: liceat mihi littus amatum
Cernere poſt longa exilia, & requieſcere feſſo.
Adueniet vobis tempus, cùm læta Sabellæ
Germina producet gentis maturior ætas.
Continuò Pax, atque comes ſimul addita Paci
Iuſtitia vnanimes alto labentur olympo:
Pone ſalus, ſecura quies, Cantuſque ſequentur,
Et choreæ faciles, & honeſto gaudia vultu,
Ac totum ornabunt varijs virtutibus orbem.
Tunc quoque, ni diræ rumpant mihi ſtamina Parcæ,
In laudes iterum veſtras mea carmina vertam,
Infantemque recens tollam ſuper æthera natum,
Spem ſobolis priſcæ: Iani gratabitur ara,
Ac centum in media ſtatuet ſpectacla plateæ.
Interea nutu valeam depromere veſtro
Secretos matrum monitus, hominumque per ora
Conſilia, & mores grauidæ vulgare parentis.
Principiò tacita rimentur mente mariti;

An

An ſoboles, intra coniux quam concipit aluum,
Aut puer, aut pueri ſit fœmina viribus impar?
Hic mos agricolis; dubijs ita ſcire futuram
Sæpe ſolent ſignis meſſem: nam tempora ſeruant,
Poſtea ſulcatæ quàm ſunt data ſemina Terræ.
At quia progeniem cæco ſub ventre latentem
Non facile nouiſſe datur; iam tramite recto
Incedant, non augurijs, non carmine freti
Aemmonio, ducant varias è fonte ſophorum,
Viua quibus poſſint diſcerni ſemina, cauſſas.
Ipſa modum Lucina doce; tu Diua tenebras
Excute, quæ viſus hebetant, uterumque reclude.
Magna quidem, non viſa oculis, nec cognita poſco.
In primis, ſint apta viro quæ tempora diſcant
Formando, validis quæ congrua fœtibus ætas?
Mox habitus, moremque uteri, ſtudiumque parentis
Scrutentur: nam ſigna legent non irrita prorſus,
Nec quæ ſuſpenſam poſſint eludere mentem.
Iamque adeo ſobolem pariet plerunque virilem
Sponſa viro (nec vana fides) ſi tempore, ſemen
Quo fœcunda hauſit, Boreas, Eurusque tenebant
Regna per aerios tractus, nebulisque fugatis,
Aurea pacato fulgebant ſydera cœlo.
An non hoc nobis promittit lucidus æther
Tempore lætitiam? quanto perfuſa rubore
Ora nitente qualis procedit læta iuuentus?
Scilicet augetur virtus, & fortia reddi

Semina

Semina cenſentur, ceu frigore pulſa propinquo
Flamma ſolet, quando puteis ſe condit in altis.
Nupta viro ſimiles etiam generabit alumnos,
Ni thalamo ſit nuper adhuc addicta iugali
Parua nimis; cui nec mammæ ſint pectore plenæ,
Nec dum ſanguineus de ventre eruperit amnis:
Nec ſit anus floremque æui tranſegerit omnem;
Cui labi incipiant vires, cui vertice ſummo
Naſcentes reddant deformia tempora cani.
Solùm quæ firma pollet bene tuta iuuenta,
Fœmineas ſupra poterit contendere vires,
Dum ſpem ſuſcipiat generis, votumque ſecundet.
At quæ ſeminibus poterit uis eſſe creando
Apta uiro inualidis. vetulæ, teneræuè puellæ?
Quis calor? vt geminis uirtutem teſtibus addant?
Haud obſcura tamen genitrix, genitorque Mariti
Signa dabunt, alitur puerorum plurima turba
Si tectis, puerum pariet quoque nupta pudica
Degeneremque virum fruſtra, imbellemque vocabis.
Nec minor eſt ratio ſexus muliebris habenda:
Ipſa ſuis etiam fœcunda parentibus vxor
Par erit, aut pueros, aut gignat uterque puellas:
Tantùm naturæ ſequitur ſua ſemina quiſque.
Motus item uentris dabit inuiolabile ſignum:
Namque ſemel quando fœtus, iterumque reuiſit,
Conceptos vtero fœtus, argentea Luna;
Continuò primos vxor ſi pectore motus

Hau-

Ingenium curis acuunt grauioribus, vt rem
Aſſiduè poſſint parere, aſſiduèque tueri.
Hæc licet Idmoniæ ſtudio ſit dedita Arachnes,
Iamque adeo telam radio percurrere diſcat;
Illa colum lateri appendens, iam ſedula penſum
Producat; digitis cogat, fingatque premendo;
In gyrum torquens fuſum teretem, atque retorquens;
Pars ſtudeant ferro tenuiſſima reddere lina
Dentato; pars goſſipio ſibi retia texant;
His tamen haud longo viuunt poſt tempore ſolis
Contentæ ſtudijs: verùm maiore latentis
Nixu audent Sophiæ tacitas perquirere ſedes,
Quamque datur, dulci in terris iuuat vſque potiri
Ambroſia; præſtantque feris, quas corpore pronas
Aethereus pater effinxit, ne ſcilicet altè
Veſtigare animo poſſent, diuinaque noſſe.
Ingenij quibus eſt acies obtuſa, laborem
Fœmineis omnem in ſtudijs, operamq; locarũt.
At ne deſiſtant, ſeu Sol has excitat ortus,
Siue cadens blandam inuitat captare quietem,
Vnum omnes laudare Deum, vni carmina ferre
Semper, & accepto pro munere reddere grates.
Antiquam ſeruent, delapſamque æthere legem,
Quam prædixerunt toties oracula vatum
Abramidum, ſummus propria quam denique lingua
Firmauit Chriſtus, verus Deus, vnica Patri
Aequa ſuo ſoboles, cuius pro numine læſo,

Vnius

Vnius ob lapſum, magnò demiſſus olympo,
Naſci iterum voluit, formamq; aſſumere ſerui,
Factus homo, diraque Crucis ſuccumbere morti:
Scilicet vt tenebris hominem, flammaque calenti
Damnatum eriperet; lethumque, Erebique tyrannum,
Telluris ſubter regnantem fornice vaſto,
Clauderet obijcibus validis, vinclisque ligaret.
Hinc ſcelere abſiſtant, mentem nec turpiter vlli
Damnoſæ tum ſorte ſinant ſuccumbere culpæ.
Ah mentem ſine labe Deus, puramque creauit,
Aethere deturbans, vt demum, mole relicta
Corporis, ad cælum pura, ac ſine labe rediret.
Huc igitur curam aduertant, ſeptenaque vitent
Crimina, quæ poſſunt homini vel ſola negare,
Perpetuæ vitæ donum, ſpectabile cælum;
Crimina quæ dextram patris armant fulmine ſummi
Horrifico, truduntque animas ſub Tartara ſontes;
Stridor vbi multus dentes quatit, oraque mœſta,
Inter Auernales fratres, ſtygiasque ſorores.
Iam ſpe præſumant horam, tempusque futurum;
Cùm vitam, Cælo in magno, nullius egentem,
Sydeream viuent, cætu ſtipante beato
Cælituum, non mortales, non amplius ægræ:
Illico deſpicientur opes, & inania vulgi
Gaudia, ceu flores, quæ protinus orta ſeneſcunt,
Defixosque Deo vultus, animoſque tenebunt
Intentos, vitaque legent hic commoda veræ.

Expediant

Expediant iuſta interea mandata tonantis;
Aequo animo morboſque ferant, curaſque repellant;
Quam ſobolem ille dabit, læta tunc fronte ſalutent;
Fœmina, maſue fuat, nullo diſcrimine habentes.
Vtriuſque hominem ſexus Natura creauit;
Scilicet vt nullo diſcrimine viuat vterque.
Nec laudabilior, nec forſan dignior alter
Fœmineo dicendus erit, ſeu corpore prono
Geſtatur, dulci ſeu pendet ab vbere matris.
Ac licet obſcura tardè formetur in aluo
Fœmina: nulla tamen dias in luminis oras
Segnior egreditur maribus: quin protinus ortu
Incrementa ſui capiens maiora, virumque
Anteuolat, nubitque illo, citiuſque ſeneſcit:
Cùmque pater ſolùm gignat, ſemenq; profundat,
Vna in concubitu genitrix cum ſanguine ſemen
Dat pia; gignit, alit, nono mox menſe peracto
Læta parit; ſucco demum turgente niuali
Progeniem gremio optatam nutritque, fouetque
Aſſiduè, donec matura aduenerit ætas.
Hanc etiam ob cauſam plus æquo ſanguine prudens,
Vt ſe non aleret ſolam, ſed pignora chara,
Si fors obtigerit, matrem natura repleuit.
Hinc pietas erga natos inſignis, amorque
Exoritur, nulli cedens: nam pendet ab ore
Sugentis pueri: noctes intenta, dieſque
Inuigilat, ſtrictiſque illum complectitur vlnis.

Nec

Nec dubitat gladios, quoties vis efferа ſurgit
Hoſtilis contra, materna ſumere dextra
Interdum, vitamq́ue noua pro prole paciſci:
Hircanis mos iſte feris, Lybiciſq́ue leænis.
Non ego, ſi vires eſſent, quibus omnia poſſem
Sydera dinumerare poli, vel gramina terræ
Littoribus, ſyluis, aruis, & montibus orta,
Fœmineas auſim verſu comprehendere laudes;
Non Clio, non Calliope, non vlla ſororum.
Dira viri manibus tractabunt fortius arma,
Credo equidem; gladijs ducent de corpore flumen
Sanguineum, cùm bella cient, Martemq́ue laceſſunt.
Excudent ferrum melius, quo machina muros
Horrida tutetur patrios, hoſtemq́ue repellat:
Diuitias condent alij, factiq́ue repente
Infectiq́, auri referent pallentis aceruum:
Neglectis alij ſcopulis tumidum æquor arabunt,
Atque alio quærent terras ſub ſole iacentes.
Tu mulier, ſi quis natura iudice certet,
Vna virum membris ſuperabis, & ore decoro,
Vna viri poteris furiatos pectoris æſtus
Comprimere, ac lachrymis adamantina frãgere corda:
Vna memor lethi ſeruabis iugera natis,
Vna tibi ſeruabis opes, inopiq́ue ſenectæ.
Quid miras animi dotes? quid munera dicam
Naturæ? niueamq́ue fidem, caſtumq́ue pudorem
Virgineum, curaſq́ue æui ſub flore ſeniles?

Illa

Illa ſibi, ne fama cadat cum corpore, pectus
Sponte ſua moriens ferro terebrabit acuto:
Illa pudicitiæ præbens mirabile ſignum
Siſtet aquam Tiberis fluidam, cribroque reponet
Læta ferens ſecum ſub veſtæ nobile templum.
Ebibet illa viro cineres, tumulumque perempto
Ingenti condet ſumptu, manuumque labore,
Poſteritas quem miretur ventura, probetque.
Mœnia fœmineo Babilon conſtructa fatetur
Iamſtudio: latas illuc errare quadrigas,
Aurigæ ſtrepitum, vocemque attendit equorum.
Quis te Gracchorum geminorum ſtrenua mater,
Quis vos Penelope tacitas, & Dido relinquat?
Non tu diſceſſu, mendax vt fama vagatur,
Hoſpitis Aeneæ laceraſti corpora ferro,
Infelix, verùm audita tum morte Sychæi:
Tantùm dilecti ſortem indignata mariti.
Quò raptus feſſum, Volſca de gente Camilla,
Penteſilæa furens? veſtram fugiſſe bipennem
Argiuum proceres perhibent, Macedumq; phalangas:
Quò me aliæ, quibus vna fuit ſub pectore mamma,
Terribiles auſæ quondam committere pugnas,
Telaque non telas manibus tractare ſuetæ?
Quid maiora ſequar? ſunt & ſpernacia vitæ
Corpora virginibus ſanctis: nec tela, nec hoſtes
Horrent, horrendum vultu, dextraque frementes:
Audacter, quamuis nudæ, nec viribus æquæ,

Reſpon-

Reſpondent, linguis pugnant, & corde feroci.
Nec viciſſe putant meritò, niſi lumine caſſæ
Procumbant, ſancta pro relligione, libenter.
Ergo fulmineo multas ſubmittere collum
Cernere erit gladio; multas mandata tyranni
Vltro negligere, & viuis dare viſcera flammis.
Abſciſſas ferro hæc mammas, illa eruta monſtrat
Lumina; ſublimem manibus gerit altera turrim:
Illa rotas fractas, vulſos hæc forcipe dentes.
Omnes victrices Cæli in ſtatione trophæa
Conſtituunt, omnes pulchra de morte tryumphant.
Iamq́ue manu palmam geſtant, oleamq́ue virentem,
Reginamq́ue hilares ſuperum comitantur ouantes.
Et dubitamus adhuc cælo ſuſtollere ſexum
Fœmineum, laude inſignem, factisq́ue ſuperbum?
Summe pater, qui cum nato, & cum flamine ſancto,
Regna tenes, atque aſtra colis, mundumq́ue gubernas,
Aſpice deuotam pacato lumine gentem.
Da deinde auxilium, da proſpera vota petenti.
En ſupplex, humilisq́ue venit; iam templa frequentat
Fœmina, iam figit nudis veſtigia plantis,
Pectus contundit pugno, ſcinditque capillum.
Illius exaudi vocem, lachrymasq́ue fluentes,
Da pacem mundo, & requiem da Chriſte benignus,
Et ne prolis amor, neu connubialia vincla
Rumpantur penitus, rebus ſuccurre caducis.

Fulminat heu paſſim Mauors; dat ſæua cruentam
Dat ſtragem Pallas: miſcetur luctibus orbis:
Militiæ non coniugio tribuuntur honores.
Errat Hymen profugus: rarò Lucina vocatur;
Pulchra Venus natis minus eſt intenta creandis.
Regnandi varij ſurgunt hinc, inde tumultus:
Ipſæ bella vomunt alpes, penituſque relictis
Oebalio diſco, Lacedemoniaque palæſtra,
Rem téntant homines ſolo decernere ferro.
Ipſa gemit longo tandem certamine feſſa
Gallia; fœdifragos optat Germania Thracas
Pellere: Danubius cæſorum ſanguine turget.
Parte Dacæ pugnant alia, pro Principe, contra
Regnatorem Aſiæ, dum fortiter agmina turbant
Denſa virum, coguntque fugæ dare terga repente.
Alter Alexander princeps eſt, alter Achilles,
Aggreditur ſi forte ferum Bactorius hoſtem,
Eminus, aut valida concurrat comminus haſta,
Aut ſtruat inſidias, aut ſtricto fulminet enſe:
Quamuis lanugo vix molli aduenerit ore.
Ecquis erit belli finis? Pars maxima mundi
Cogitur Helleſpontiaco ſeruire tyranno:
Vix reliqui credunt, quæ tu præcepta dediſti.
Per te pacifici coeant in prælia reges,
Chriſtiadum; bellumque parent terraque marique,
Auxilioque tuo populum, gentemque rebellem,
Infidam,

Infidam, propria fretam feritate retundant.
Italiæ ſeſe fortis coniungat Hiberus;
Addant ſe ſocios Galli, Venetiqúe potentes:
Túque tuo, qui iura tenes, cui lata poteſtas
Imperij, Chriſte exaudi de nomine dictam
Progeniem: ſic illa magis tibi ſeruiet vni
Libera, felici replens hinc ſemine Terras.

Gynæcyeſeos Libri ſecundi finis.

AEMILII VEZOSII ARRETINI GYNAECYESEOS,

SIVE DE MVLIERVM CONCEPTV, Geſtatione, ac Partu.

AD ILLVSTRISS. D. D. LVCIVM SABELLVM, & Claricem Palumbariam Coniuges.

Liber Tertius.

Antonij Blondij Arretini Argumentum.

PRotinus incluſum ſignis diſtinguere ſexum
Aggreditur ; quaque arte ſibi paritura Cubiclum
Inſtituat, lectoſq́ue cibos, aptumq́ue ſedile :
Quæ facilem reddant partú : quæ numina porrò
Edocet, auxilio veniant parientibus ægrè.

PRotinus euentus lætos, requiemq́; laboris
Exequar: hanc etiam, chara cum coniuge, Luci,
Quæ ſupereſt, facie pacata, reſpice partem.
Quæ vela auſpicijs veſtris, ſine remige tuto,
Explicuit, tumidiſque ſali ſe credidit vndis,

Geſtit

Geſtit io cymba optatum contingere portum.
Ecce, quibus tumuit maturo pondere venter,
Auſonia in magna, tentant matreſque nuruſque
Præcipitare moras: aliæ diffundere paſſim
Dona laboratæ Cereris, veteremque Lyæum:
Lucinam lachrymis aliæ precibuſque rogare,
Votaque pro partu reginæ ſoluere Cœli.
Aula puerperio reſonat, tectum omne remugit.
Pandite ſulcanti ventos, & ſydera clara
Vos quoque propitij: liceat mihi littus amatum
Cernere poſt longa exilia, & requieſcere feſſo.
Adueniet vobis tempus, cùm læta Sabellæ
Germina producet gentis maturior ætas.
Continuò Pax, atque comes ſimul addita Paci
Iuſtitia vnanimes alto labentur olympo:
Pone ſalus, ſecura quies, Cantuſque ſequentur,
Et choreæ faciles, & honeſto gaudia vultu,
Ac totum ornabunt varijs virtutibus orbem.
Tunc quoque, ni diræ rumpant mihi ſtamina Parcæ,
In laudes iterum veſtras mea carmina vertam,
Infantemque recens tollam ſuper æthera natum,
Spem ſobolis priſcæ: Iani gratabitur ara,
Ac centum in media ſtatuet ſpectacla platea.
Interea nutu valeam depromere veſtro
Secretos matrum monitus, hominumque per ora
Conſilia, & mores grauidæ vulgare parentis.
Principiò tacita rimentur mente mariti;

Semina cenſentur, ceu frigore pulſa propinquo
Flamma ſolet, quando puteis ſe condit in altis.
Nupta viro ſimiles etiam generabit alumnos,
Ni thalamo ſit nuper adhuc addicta iugali
Parua nimis; cui nec mammæ ſint pectore plenæ,
Nec dum ſanguineus de ventre eruperit amnis:
Nec ſit anus floremque æui tranſegerit omnem;
Cui labi incipiant vires, cui vertice ſummo
Naſcentes reddant deformia tempora cani.
Solùm quæ firma pollet bene tuta iuuenta,
Fœmineas ſupra poterit contendere vires,
Dum ſpem ſuſcipiat generis, votumque ſecundet.
At quæ ſeminibus poterit uis eſſe creando
Apta uiro inualidis. vetulæ, teneræuè puellæ?
Quis calor? vt geminis uirtutem teſtibus addant?
Haud obſcura tamen genitrix, genitorque Mariti
Signa dabunt, alitur puerorum plurima turba
Si tectis, puerum pariet quoque nupta pudica
Degeneremque virum fruſtra, imbellemque vocabis.
Nec minor eſt ratio ſexus muliebris habenda:
Ipſa ſuis etiam fœcunda parentibus vxor
Par erit, aut pueros, aut gignat uterque puellas:
Tantùm naturæ ſequitur ſua ſemina quiſque.
Motus item uentris dabit inuiolabile ſignum:
Namque ſemel quando fœtus, iterumque reuiſit,
Conceptos vtero fœtus, argentea Luna;
Continuò primos vxor ſi pectore motus

Hau-

Hauriat; ac ſtirpis uiua argumenta futuræ,
Cui dubium? hæc puerum geſtat, non uentre puellam.
Tarda diu latitat, nec ſe prægnantibus vltrò
Fœmina viuam offert (torpent nam frigida membra)
Donec ter lateat Phœbe, terque orbe recreſcat.
Mox contrectabis mammas, niueoque liquore
Emuncto, manifeſta maris tunc ſigna patebunt:
Nam quando pleno, concreſcit lacteus humor
Vbere detractus matris, fundoque recumbens
Ima petit phialæ, vitreas proiectus in vndas,
Dulcis erit puero talis magis eſca futuro:
Denſa fauet maribus, rariſſima quæque puellis:
Sic etiam quoties ad tactum dextera mamma
Turgidior pulſatque magis, pectusque referta
Lacte mero, læua citius, fœcundat honeſtum.
Maſcula præterea ſoboles hac diſcitur arte:
Cuſpidis in morem longæ ſi venter acutus
Pulſetur manibus pariter, pedibusque frequenter.
At certo contra prodibit fœmina partu
(Ni vana expertæ nequidquam verba loquantur)
Si varios vterus ſeſe conuoluat in orbes:
Sicut vbi terram coluber perrumpere cœpit,
Vere nouo, primùm in ſpiras ſe colligit intro
Dum redeat poſitis ſpolijs in luminis oras.
Poſtremò concepta graui fœmella ſub aluo
Indicia hæc manifeſta feret: nam languida maior
Ora tenet pallor matris; grauitasque, tremorque
Membra

Membra premit longo penitus deiecta labore.
Oblatos itidem nimium faſtidit, & odit
Aegra cibos, epulæque illi quæruntur ineptæ,
Et grauius triſtes angunt præcordia curæ.
Tum rapitur læuam in partem, ſeu corripit artus
Mollibus è ſtratis, ſeu dulcem hauſura ſoporem
Porrigitur plumis, ſeu poſcit Dædala templa,
Siue ſolo propius delapſum prona reſumit
Fuſum, ſiue legit maturum ex arbore pomum.
Dextera pars maribus debetur, læua puellis.
Has natura tulit leges ab origine mundi.
Sic fœtum, ſeu mas fuerit, ſeu fœmina, Sponſus
Proſpicere, & varijs poterit cognoſcere ſignis.
Vlterius tentare nefas: nam ferrea contra
Iura obſtant, legesque Dei, qui cuncta gubernat.
Nec tu propterea medici [illegible] damna,
Proſpera ni votis veniant, neu ſcinde capillos.
Quin potius vanas artes, & cæca repelle
Conſilia, Aeææque procul miracula Circes.
Quid referam; quantum recto rationis aberret
Limite, qui furijs cæcis agitatur, ut Artem
Veſtiget magicam? et voces ſimul ore prophanus
Proferat? et plantis pollentibus audeat vti?
Heu quantis miſeri detenti ambagibus errant
Mortales; quando neque ui, neque numine Diuum
Freti, poſſe putant fontes, & flumina rauca
Siſtere, natiuumque retrò deducere curſum?

 Quid?

Quid? pluuiam qui frigentem, canamq́ue pruinam,
Nubilaq́ue, egelidamq́ue niuem deuoluere cælo,
Auratum & Phœbi ſperant conuertere currum?
Quid? qui defunctos pridem reuocare ſepulchris,
Vimque, facultatemque illis dare denique tentant
Spirandi vitalem auram, ſenſuque fruendi?
Quis furor obſedit pectus? quæ cæca libido
Inuoluit tenebris mentes, & lumina tantis?
Auſpice namque Deo quicquid pulchrique, probique
Maximus orbis habet, conflatum eſt ordine miro.
Ille quidem cæli nitidum ſeptemplicis axem
Lege mouet certa, & proprijs diſtantia formis
Componit, frenisque potens elementa coercet.
Hinc varias herbas, quarum veſtita colore
Alma nitet tellus, & amantes humida piſces,
Et reliquum ratione carens genus, Aetheris oras
Immenſi ſolitum, cæcasque habitare latebras,
Perpetuo quodam ſeruat, vegetatque tenore:
Et dubitabis adhuc, vtrum mortalia poſſit
Cætera dirigere, humanas aut ſternere vires,
Diuina cùm certa ſedet ſententia mente?
Heu fuge ſcrutari ſummi decreta tonantis:
Deſine velle magiſterium execrabile, turpe:
Omnia namque vides, vt iuſto ſtantque, caduntque
Arbitrio, imperioque Dei, qui terret olympum?
Nec te noſtra fugit, pigro circundata ſenſu,
Quòd nequit æternam ſententia vertere mentem.

Nec

Nec ſolùm Aemmonias amplecti dedecet artes:
Sed varias etiam linguas, auiumque volatus
Diuerſos ſeruare, nouam hinc prædicere prolem:
Vana ſuperſtitio: non illis credere tutum.
Teſtis Auentini Romana obliuio collis;
Teſtis & auguribus cantata Hetruria priſcis.
Sed procul hanc, ſponſi; procul hanc ſuſtollite peſtem;
Inſenſam, inuiſam peſtem ſcelerumque timete
Vltorem; cuius manifeſta, atque omnia aperta
Sunt oculis; alto ne corruat æthere fulmen,
Quod vos, progeniem veſtram, patriamque, domumq;
Perdat; io prohibete nefas, prohibete ruinam:
Abijcite hanc curam, nec talem inducite morem.
Quærite naturæ ſedem; mox diſcite ſigna:
Ambiguam ſobolem diſtinguite mente ſagaci.
Haud ſecus Auſonias docuit quandoque futuram
Progeniem matres, venturi conſcius æui,
Saturnus, cùm ſydereo depulſus Olympo,
Aetatem terris tulit, & mortalibus auream.
Ante Iouem nec cultus agris, nec frugibus vlla
Ars fuerat: ſegetes tellus inarata ferebat,
Ilicibusque cauis manabant cærea mella;
Nec ſpe ruricolas termes fallebat inani.
Tantùm cura fuit clauſos diſtinguere fætus,
Hisque dabant operam ſtudijs noctesque, diesque.
Hanc illis ſenior primam tunc extudit artem
Naturæ è gremio, cùm texta palatia fronde

Incolerent, ſtratiq́ue iacerent mollibus herbis.
Poſthinc aruorum cultus, & munera Bacchi
Vitiſator docuit, vitemq́ue adiungere curuam
Arboribus, raſtroq́ue putrem diſſoluere glebam,
Eque alijs alias maturas quærere fruges.
Protinus incertam manifeſtior expulit artem:
Illa diu latuit; donec mihi ſydera luce
Tam Claræ fulſere: nouo tum concitus œſtro
E tenebris artem cœpi reuocare ſub auras.
Hanc igitur tota ſponſi perdiſcite mente.
At grauidæ contra diuerſa ad tempora Partus
Conuertant ſeſe Matres, ne quando labores
Sollicitant, vrgentq́ue magis ſint cuncta paranda
Confeſtim, vireſq́ue opera fruſtrentur inani:
Namq́ue licet nono deponat menſe peracto
Plurima ventris onus: multas tamen ante videmus
Nunc parere infantem dextro, nunc omine læuo.
Octauam nati Lunam dixere nouercam
Protinus extincti, parienti ſeptima felix
Sæpe fuit, cauſſa eſt alta caligine merſa.
Quicquid ea de re muſſent, alijque loquantur
Authores, ſtudia in multa, & contraria ſciſſi,
Non dicam, nec vos longo ſermone morabor:
Tantùm noſtra breui quæ ſit ſententia pandam.
Septem materna lapſis iam menſibus aluo
Contendunt prodire omnes in luminis auras
Perfecti fœtus; multumque, diuque laborant,

Imaque

Imaque verſantes manibus præcordia pulſant:
His aditus ſi forte datur, mora nulla, ſubinde
Incrementa ſuæ capiunt felicia vitæ:
Namque Deus tali, totius conditor æui,
Lætatur numero; ſenis & cuncta diebus
Cùm finxit, Cœlum, & Terram, Pelagumq; patentem,
Aeriaſque plagas, ſtellas, noctemque, diemque,
Atque hominem gemino diſtinctum denique ſexu;
Septima lux operi impoſuit, rebusque quietem.
At ſi cunctentur, valeant neque rumpere ventrem
Pignora, menſe ſimul pereunt egreſſa ſequenti;
Bis conata foras duro prodire labore.
Quanuis egreßos, octo quoque menſibus actis,
Aegypto in viridi, compertum viuere fœtus:
Vis adeo fœcunda locis reperitur in illis.
Verùm ter terno geſtatus menſe deinde
In lucem veniens vitalis dicitur infans:
Octauo quoniam toto iam menſe quieuit,
Defeſſusque olim vires, roburque refecit.
Nonne vides fructus ferri nunc uere tepenti
Præcoces? nunc Autumno ſub luminis auras?
Ambo placent, ambo maturi ex arbore pendent:
Si quem præterea medio ſub tempore guſtes
Naſcentem, proprium hunc dices mutaſſe ſaporem
Aegrum, imperfectum, productumque inſtar abortus.
Haud ſecus egreſſis utero contingit alumnis.
Vt res cunque tamen ſe habeat, mentem arrige nuptæ,

Interea,

Interea, & volucres prudens imitare palumbes:
Quæ ſimul ac fœtu maturo denique partum
Aduentare uident; denſa ſuper arbore nidos
Aedificant; pennisque illos, ac ſtipite uallant
Duro, nequa ruat manibus Iouis ales obuncis
Aeria ab ſede, vt pignus populetur amatum.
Ante igitur quam tarda grauis dolor ilia pulſet,
Quam manifeſta foras ſoboles exire laboret.
Rumpe moras, animoque propinquum concipe tempus
Affore, cum fœtus celer educatur in auras.
Nec ſtudio deſiſte graui, neu tecta relinque.
Hic tibi ſepoſitum mulier paritura cubiclum
Aedibus in medijs legito; circumque, ſupraque
Attalicis illud, pictis ornato tapetis.
Non portentificas habeant aulæa figuras;
Obſcœnas volucrum facies, & dira ferarum
Corpora, multiplici mentem ludentia forma.
Abſint immanes hydræ, harpyæque rapaces,
Centauri, ſcyllæ, ſphynges, piceumque Chimeræ
Ore reiectantes fumum, calidamque fauillam.
Abſint ſemicapri Panes, Satyrique petulci,
Dijque, Deæque omnes aliæ, quas ante vetuſtas
Syluestres habitare caſas, aut æquora finxit.
Sint procul Hyrcanæ tigres, fuluique leones,
Fœtæ vrſæ, raucæque lupæ; ſint ſquamea longè
Monſtra ſali, phocæ immundæ, vituli que marini;
Et quæ pubetenus pulchræ (ſpectabile viſu)

Vir-

Virginis ora, humeroſque gerunt, quas aure picata
Deſeruit prudens, Phrygibusq́ue infenſus Vlyßes.
Talibus abſtrahitur mens huc parientis, & illuc
Ambigua, & rerum retinetur imagine vana.
Hinc propriam teneri effigiem, vultumq́ue, coloremq́ue
Amittunt fœtus, pereunt ni protinus orti.
Haud ſecus, Oceano viſo, ſentitur in ore
Salſedo; ſtupidos huic dentes illico reddit,
Si bulbos, vuamq́ue alius deguſtet acerbam:
Illi, dum medici tractant abſynthia, triſtis
Faucibus, aut labijs hæret non tactus amaror.
Candida ſic albo fertur genuiſſe marito
Progeniem mulier nigram, criſpamq́ue capillis,
Cùm paritura oculos, atque ora intenta teneret
In vultum Aethyopis, quem forte tapetibus altis
Aduerſis pictor viuaci expreſſerat arte.
Quid referam, quæ pro fœtu ſub lumina cœli
Inſtar Auis veræ candentia protulit oua?
Nempe oculis Ledæ prolem perlegerat ante
Pictam parietibus, gemino tum protinus ouo
Egreſſam, fratresq́ue duos, totidemque ſorores,
Mutatamq́ue Iouis faciem, cygnumq́ue volantem.
Huc referunt quidam cauſſas, ſi monſtra parentes
Interdum pariunt; tectis ſed talia veſtris
Tollite; ne pictura animum deludat inanem.
Quin potius multis, auro intertexta trilici,
Splendeſcant violis, & verſicoloribus herbis
Aulæa:

Aulæa: hìc puris decurrant flumina lymphis,
Eridanuſque, Arnuſque pater, Tiberiſque ſuperbus;
Centum cui nymphæ gelidis famulantur in antris.
Hic ferrugineo diſpellant frigora panno
Agricolæ duri, contemnant ora Leonis,
Luctificamque Canis rabiem, membra omnia nudi;
Seu ver floriferum ridet, ſeu pomifer annus
Inuitat, dulcique fluit vindemia muſto,
Syluestres gracili verſus modulentur auena.
Ipſe, diues vbi pictai frondis, & vuæ
Vlmus in apricis diffundit collibus vmbram,
Caſtalides ſedeant, alternaque carmina iactent,
Certatim, medius ſedeat grinæus Apollo,
Ac cytharam pulſet facilem, vel Thracius Orphæus
Saxa trahat fidibus ſecum, volucresque canoris.
Hinc varios trabibus flores, & ſerica poma
Suſpendant; lamnæque auri, pictæque tabellæ
Egregias referant poſitæ longo ordine dotes.
Hæ toto grauidæ remorentur tempore viſus
Coniugis, hæ muros ornent, ſimilesque figuræ;
Tuta quies, Pax alma, fides, & honeſta voluptas,
Simplicitas humilis, ſpes, & concordia læta,
Atque honor, & digna virtus redimita corona.
Nec minus hiſtoriæ ſacræ monumenta legantur
Picta oculis: Vt prima Deus cunabula mundo
Tradiderit, lucem a tenebris, a luce tenebras
Seiungens; vt primum hominem, cui cætera parent
Subdita,

Subdita, de terræ limo formauerit, illi
Adiungens ſociam manſuro fœdere ſponſam,
Creſcere quò ſoboles poſſet, Terraſque repleret.
Inde Noem, confectum annis, tardaque ſenecta
Aſpiciant, hortante Deo, contexere molem
Sublimem, ingentem, Cœli confinibus æquam.
Cædantur piceæ paſſim, cædantur & orni,
Atque abies ingens, fagique, leueſque cupreſſi.
Defeſſi ſudent fabri, longoque libenter
Incumbant operi; donec ſit machina montis
Facta inſtar; veteres arcam dixere parentes:
Repleat hanc omni viuentum Prole propheta.
Interea largi deſcendant Aethere nymbi,
Atque pluat, donec terras vnda obruat omnes;
Dum pereant homines reliqui: tum denique luce
Exorta repleant meliori ſemine mundum:
Ille petat ſolem occiduum, ſeptem ille triones;
Hic oras aurora tuas, volet alter ad Auſtrum;
Inuentas pelago terras colat alter aperto.
Iſacus hinc genibus flexis, manibuſque reuinctis
Procumbat, ſancto oblatus velut hoſtia monte:
Quem Pater vnigenam ſenior iam deſtinet aræ,
Iam premat exutum gladio vibrante; ſed aſtet
Protinus interpres cœli, palmaſque reflectat.
Nec procul ingenti fretus Rex claſſe Pharaon
Inuadat ſolymos: ſolymi, ductore propheta,
Incolumes abeant: a tergo Aegyptia Claſſis

Stet minitans, rubróque cadat demerſa profundo.
Tum populum vates idem, ſummusque ſacerdos
Lege data formet, ductumque per auia ſeruet,
Grandinis in morem demiſſo melle per auras
Cæleſti; læſumque ſiti iam penè moleſta
Recreet, excitis viuo de marmore lymphis.
Contra Iudææ cunctis prælata puellis,
Regia progenies, regem paritura Deorum,
Virgo ſit: hinc grauidæ mores, hinc diſcite uitam.
Aliger hic Iuuenis primùm delapſus olympo
Reginæ ſuperum ſpectetur nuncia ferre.
Illa verecundo vultum ſuffuſa rubore
Horreſcit mandata Dei, paretque deinceps,
Concipiens aluo cæleſtia ſemina verbi:
Fit Mater; ſeruatque ſuum nomenque, decusque
Virgineum; toto lætantur ſydera Cælo.
Quid? ſi præterea virgo depicta legatur,
Plena Deo, montes Iudææ tendere in altos?
Ac ſobolem agnoſcat, ſterilis quam geſtet in aluo
Iam ſenio confecta Parens? ſic optimus illi
Interpres, famulusque Dei promiſerat ante.
Ecce manus ambæ iungunt: dant brachia circum
Iam collo, cumulant lætis & vocibus auras.
Illi ſuccreſcens vtero infans geſtit in imo,
Authoremque ſuum ceu præcurſurus adorat:
At Mariæ, qua carpit iter, violæque, roſæque
Surgunt purpureæ, demittunt culmina colles,

Exiliunt

Exiliunt fontes, vicinaque flumina paſſim,
Ac læta tandem redeuntem fronte ſalutant.
Quid? ſi virgineos partus; Aſinumque, Bouemque,
Grandæuumque ſenem referant, Matremque tabellæ
Enixam ſub nocte Deum, cui ſydera fulgent
Lapſa polo, nitidisque volans exercitus alis?
Scilicet eſt Antrum ſtatio, præſæpe cubile,
Stramina diuinum velantia carbaſa corpus.
Ite modò, & pario constructa palatia ſaxo
Attalicis, mortale genus, decorate tapetis,
Et Phrygijs dormite toris, oſtróque ſuperbi
Magnifico; rerum hîc author, cui cuncta miniſtrant,
Vix habet ecce locum, natus quo membra reponat.
Continuò huc portent genibus pia munera flexis,
Aurum, thus, myrrham puero fragrantia nato,
Barbarici Reges: poſt hinc infansque, parensque
Defeſſusque ſenex, monitis cœleſtibus acti,
Crudeles terras fugiant, acremque tyrannum;
Aegyptumque petant; ſeptem qua Nilus inundat
Vorticibus rapidus, tumidumque excurrit in æquor:
Nilus ab æthereo ducens cunabula cœlo.
Tum genitrix puerum geſtet caſtiſſima paruum;
Nutriat vberibus ſanctis, gremioque receptum,
Quem genuit, nunc læta colat, nunc mitis adoret.
Poſt Christus tanta gaudens genitrice ſequatur;
Vera Dei ſoboles; atque hæc, atque illa per orbem
Factus homo, peragat mira, atque ingentia facta.

Cum ſenibus nām penè puer iam ſeria tractat,
Conuertit gelidas lymphas in dulcia vina:
Liberat oppreſſos furijs: dat ſurgere claudis;
Reſtituit lucem cæcis, mutoque loquelam,
Defunctosque iterum ſuperas arceſſit ad oras.
His actis, ignominiam perpeſſus iniquam,
Offert ipſe caput letho; diramque columnam,
Contextum vepribus ſertum, clauosque nefandos,
Horribilemque Crucem manibus complectitur vltrò,
Atque vnus moritur cunctis pro ſontibus inſons.
Poſt obitum, ſurgit tumulo. victorque tryumphans,
Deuictis Erebi furijs, conſcendit Olympum.
His domus, atque alijs ſignis de more paretur;
Reddat vbi mulier laxato pignora ventre:
Semper ad hæc timidam deflectat ſedula mentem.
Nec ſit cura minor, lectos ex ordine pullos
Semimares cæcis cauearum includere ſepis;
Furfure triticeo donec reddantur obeſi.
Ac licet acceſſu generet lux cuncta, receſſu
Interimat. tamen aucta nimis quæcunque reſoluit
Obuia, cùm tractus ſeſe diffundit in omnes.
Sunt quæ fæcundis præbent alimenta columbis,
Ac cogunt ſub tecta diu, timidasque reducunt
Errantes, vt Lucinæ cùm tempora poſcunt
Inuadant nidum, & pullis ſatientur inemptis.
Sic alij partus alijs dant partubus eſcam.
Tum Gallinarum, nido ſeruata recenti,

Corycio

Corycio ſpargenda croco, tenera oua probantur?
Adſint degentes volucres in montibus altis;
Quæque ſolent ægris ſacræ conflare puellæ
Amiſſum liba extemplò reparantia robur.
Hoc vires victu effætæ, dum mole fatiſcunt
Depoſita, validæ ſurgunt, ſenſimque fouentur.
Flauum præterea vinum, rubrumque paretur;
Sitque potens; acido feriat non ora ſapore,
Non cerebrum, non fumo oculos perſtringat acuto.
Hoc vteri pariter motus ſædantur acerbi,
Hoc animum mulier validum, corpusque reſumit.
Ergo omnes ſtudio ingenti ſponſæque, virique
Incumbant operi, ſummis ac viribus inſtent,
Quiſque ſuis, relinant generoſi vt dolia Bacchi.
Poſtea linteoli molles, vittæque plicentur
Longæ, quæ puero perſtringant membra tenello.
Nec variata nouo deſint velamina textu,
Faſciolæ tenues, nec læuia cingula tactu,
Nec veſtes mundæ, nec pluma inſerta recenti
Stragula, nec cunæ cum puluinaribus altæ.
Verùm apio cunæ viridi, rutaque, comisque
Rite coronentur lauri, circumque, ſupraque
Flexipedes ſerpant hederæ, pictique corymbi.
His funeſtus odor plantis fugit aere toto.
Apta puerperijs tum demum ſella paretur
Affabrè è cedro confecta, vel abiete odora.
Quattuor illa pedes habeat, ſolidumque ſedile

Saturni

Saturni falcem, nec plenæ cornua Lunæ
Obliquo referat ligno; fulcrumque deinde
Pendeat extenſum retrò, longèque reductum:
Inuentum Latona tuum fugitiua putatur;
Antea prole graui gemina quàm tempora Partus
Inſtarent vicina tibi; ſic fama vagatur:
Falcis adhuc Cœlo ſeruat Diana figuram.
Hanc igitur genitrix protenſis contegat vſque
Ad terram pannis, mox cùm Lucina vocatur,
Inſideat, prolemque ſupra connixa relinquat.
His ritè inuentis, ſolers, & amica paranda
Obſtetrix, grauidæ fuerit quæ nota parenti:
Haud rudis illa, nouus tanquam ſit miles ad arma;
Haud vetula, incuruo turpis cui ſtiria naſo
Pendeat, aut rauco manet pituita palato.
Multos ante ſuis fœtus exceperit vlnis;
Ante quoque ediderit multos; nunc ſedula cunctas,
Viribus, ingenioque potens, mercede per Vrbes
Accepta, properet, facilemque exerceat artem.
Illa prius grauidam verbis compellet amicis,
Soleturque ægram blandè, pellatque timorem,
Diſſimulans nullos, animo dum viuat alacri,
Quamuis immineant ſæui plerunque dolores.
Sic bonus alloquitur ductor pugnare paratam,
Inſtructamque aciem, vires, animumque miniſtrans.
At bene Lucinæ tempus, momentaque ſeruent
Vltima: nam certis longa experièntia ſignis

Inſtantes docuit Partus, fœtumq́ue propinquum.
Tunc neque ſtare loco mulier, neque languida ſomno
Tradere membra valet, grauitas, vteriq́ue dolores
Acrius inſurgunt, & aperto Marte laceſſunt.
Et modò porrigitur lecto, modò ſurgit eodem;
Atria vociferans implet ſtridoribus altis.
Quid dubitatis adhuc? matres de more, quibuſcum
Ante loqui ſolita eſt, & amicè ſæpe iocari,
Accerſire decet: nullæ, quas oderit, intro
Ducentur, nullæ, quas non cognouerit ipſa.
Excludantur item pueri, caſtæq; puellæ,
Atque viri: muſſet longè non iuſta nouerca,
Ne ſoboli remoretur iter, ventremq́; repellat.
Adſint cognatæ ſolùm, materque benigna,
Quæ facilem reddant, partum, leuoque dolori
Interſint, addantque animum roburque trementi.
Protinus obſtetrix oleo perfuſa lacertos
Sedula contrectet mollis præcordia ventris:
Atque vbi non ſolito iactari pondere matrem
Sentiet, exploret venientem lucis in oras
Perfectum fœtum. quòd ſi Caput exerat vltrò;
Auſpicijs, lætare parens, felicibus infans
Prodibit; nullo reddes hunc ipſa labore.
At pedibus ſi forte foras erumpere tentet,
Aut manibus, quòd rarò ſolet contingere, quantùm
Dira, horrenda feres? quæ tu diſcrimina adibis?
Obſtetrix autem, fœtum cui tangere cura,

Veſti-

Veſtigare caput, tacitèq; inferre lacertos,
Munere fungatur; vinclis, cultroq; parato,
Vna manu properet, maturum carpere pomum:
Vna cibi, potuſq; vias infantis in aluo
Obſtruat, atque liget, ventriſque accommodet omnem
Ritè locum: Sic vrſa ſolet connixa fouere
Informem ſobolem, doctaq; effingere lingua.
Parte alia vultu triſtis, gemebundaq; mater,
Parturiens, in vota Deum, Mariamq; vocabit,
Stansq; alta in Sella ſoluet penetralia ventris;
Nec mora, deuexum Matrem ne pondus ua ægram
Aggrauet, vt ſtudium mox fruſtra impendere curet.
Felix ò partu, felix ò prole nepotum,
Excute ſponſa metum, minimè nunc ſponſa vocanda:
Spirauere leues Zephyri; ſimul appulit oris
Incolumis, centumque rates iactata procellis;
Iam tangit littus, proram tenet anchora dente.
Naſcere ſpes generis, charæ exoptata parenti,
Exoptata patri ſoboles: tibi dulcia rident
Aſtra; tibi Tellus, Aether, & Pontus, & Aer;
Quæque per aerios diſcurrunt ſydera tractus,
Et tenues demum in ventos decuſsa recedunt;
Quæque manent immota polo, tremuloque coruſcant
Auro, & fallaci deludunt lumina motu.
Nec tibi non plaudunt ſudum per inane volucres,
Perpetuam orantes vocali gutture pacem.
Cætera (nec fallor) ſaltant animalia prolis

Aduentu

Aduentu gauiſa: truces paulloante leænæ,
Crudeles pauloante tigres, vrſæque, lupæque
Deponunt veteres inſani pectoris iras,
Iras, & ſæuos lan iantes corda furores.
Nubila diffugiunt; Euri fugere proterui.
Ipſæ Nereides, ventoſi numina ponti,
Colla auro ornatæ properant, gemmiſq; decoræ,
Nudæ humeris omnes, mixtæ Tritonibus omnes
Solemnes ineunt choreas per cærula regna.
Naſcere, magne puer: charæ cape dona parentis,
Lilia, ſanguineaſque roſas, violaſque decentes,
Quos Aurora illi flores demiſit olympo.
Naſcere, nam famæ demum pernicibus alis,
Ne dubita, facilè Cœli rapieris ad aſtra?
Mygdonioq; tuum ſculpetur marmore nomen,
Geſtaq; Phidiaco viuent cælata metallo.
Nunc, ſi contigerit, facilis ne fœtus in auras
Prodeat, aut vitam cæco ſub ventre relinquat;
Id poteris certis aliquando noſcere ſignis.
Nam veniens vtero pueri vagitus ab imo
Percipitur; mox teter odor prorumpit ab ore
Prægnantis: languent mammæ; fit pallida coniux;
Naribus emanat ſanguis; venit horridus algor;
Motus abeſt, & ſenſus; adhærent verba palato,
Et grauitas ingens extremum detinet inguen.
Conuenit auxilium grauidæ tunc ferre parenti,
Vt vel viua foras trudat, vel ſanguine caſſa
Semina; quod paucis (mentem conuerte) docebo.

Multa ſolent magno fœtus propellere odore ;
Quæ patulis ægræ parientis naribus infer.
Galbana, Ariſtolochi radix , viroſa cicuta ,
Et pulicum frutices, & triſtia centaurea.
Quid thymbram grauiter ſpirantem, herbasque ſabinas,
Cupreſſo ſimiles folijs, abſynthia cana ;
Abrotanum, helleboros ambos, albumque , nigrumque ?
Quid rutam naſci renuentem, Vbi braſſica ſurgit,
Sanguineis ebulum baccis ; & Pontica dicam
Caſtorea, & ſtyracem liquidam, myrrhamq; tenacem?
Heu tales circum Lethæa papauera plantas
Enaſci perhibent ; illas, ſub fornice terræ
Vaſto , ſæpe legunt manes, vmbræque ſilentum .
His puerum, ſi ventre latet, violenta mouebis
Extinctum , aut viuum , nolentem excedere clauſtris ,
Sicut mite ſolent Euri quatere arbore pomum :
Aut ingeſta vores, aut naribus hauſta recondas .
Ius ciceris rubri interea potare iurabit
Seminibus permixtum apij, viridisque marathri.
Inguina mox oleo pingui , ventremque perunge
Leucoij, quo ſponte uiæ reſerantur opertæ .
At ne decipiare caue : quod naſcitur hortis ,
Aut alitur teſtis , leucoij nobile gramen ,
Tergeminum inuenies , diſtinctum flore ſeorſum ,
Quodque ſuo , quamuis folio non diſtet eodem :
Eſt huic purpureus , flos verè lacteus illi ,
Luteus extremo, referens aurumque, crocumque ?
Tu lege, ſi lenire voles paritura dolorem ,

Luteolos

Luteolos mulier flores, oleóque refuſo,
Permixtos ſoli multis expone diebus.
Profuit hinc flammis ſubiectas urere menthas,
Coryciumque crocum: multæ ſibi cinnama grata
Supponunt; moſcumque olidis genitalibus ortum:
Nam vapor aſcendens fætum prolectat ab aluo.
Sunt quæ ſuſpendunt coxa, geſtantque ſiniſtra
Aſſiduè lapides Aquilæ de nomine dictos:
Mira quidem natura manet, virtusque ſub illis
Reddendi facilem partum; ſimileſque uidentur
Eſſe tuis gallina ouis, alioſque lapillos
Ventre gerunt clauſos, ceu tintinnabula parua,
Edentes ſonitum, manibus verſantibus illos.
At longè melius, laudabiliusque precari
Seruatorem hominum, ſi corda trementia motu
In varias partes quocunque incerta ferantur.
O rex & Terræ, rex & ſublimis Olympi,
Alme Pater, qui tecta tuo immortalia comples
Numine, chriſtallo, & gemmis compacta coruſcis:
Qui terram, molliqueſinum cohibentia Terræ
Aequora complexu iuſtis moderaris habenis:
Da facilem partum; da tantum ferre dolorem;
Dum puer egreditur, quatiens incurſibus artus:
Meque illo placidus, quo pellis nubila, vultu
Aſpice: maiores nobis, cum pignus Ieſum
Vnigenam emittis, veterum ut delicta parentum
Morte ſua lueret, nos & de faucibus Orci
Incolumes traheret, ſuperaſque uocaret ad oras;

Spectaſti, pater alme, preces; maioraque vota
Audiſti, o nimium noſtros miſerate labores.
Vnam præterea Mariam; præque omnibus illam
Exorent; vni laudes, & carmina dicant.
O ſummi genitrix, & nata, & ſponſa tonantis;
Pulchra quidem, ceu Luna; micans vt flauus Apollo;
Terribilis ceu ferro acies inſtructa rigenti:
Cui roſeam latè frontem biſſena coronant
Sydera; fœmineum facilis iam reſpice ſexum:
Parturientis ades voto, Partumque ſecunda
Per tua nunc Virgo nos gaudia, perque tui te.
Oramus fructum ventris, quem tacta dolore
Nullo, natura in lucem mirante tuliſti.
Tu ſydus, tu Portus ades, tu gratior aura,
Exhilara matres extrema in morte natantes.
Talia dum Genitrix iactabit ad æthera; fœtus
Exeret os, vterum rumpens, venietque ſub auras,
Ac tectum tremulis uagitibus omne replebit.
At ſi cunctetur: faciem tu rurſus ad aſtra
Tolle grauem; Diuosque uoca, Diuasque minores,
Electum Chriſti genus, omni ex parte beatum,
Immortale trahens æuum in regione ſerena.
Ante omnes hic illa aderit pulcherrima uirgo,
Margaritha, nitens omni precioſior auro;
A teneris quæ formam annis, animumque ſacrauit
Cælitum regi: non illam iræque, minæque
Flectere, nec ualuere preces, aut dona tyranni.
Poſthabitis ſed enim terræ, ſpretisque Hymenæis,
Aethe-

Aethereùm ſperare torum, ſummique vocari
Sponſa Dei meruit: pro quo tormenta libenter
Dira adijt, duroque dedit caput obuia ferro.
Omnes hanc igitur pariter venerentur, & unam
Implorent; aut concipiant, aut pondera geſtent,
Aut pariant: uni matres dent munera lætæ;
Huius enim precibus ſanſta, ac diuina uoluntas
Flectitur, atque hominum reſpondet conſona uotis.
Nec dubium, aut mirum: nuptis hæc ipſa pudicis
Præſidet, auxilioque venit parientibus ægrè.
Verùm omnem, quando longè iam fama receſſit,
Ex alto cauſſam expediam, facilèque docebo;
Cur Deus hanc homini pariendi liquerit artem?
Quouè modo Diuæ numen præfecerit illi?
Nam nulli piſces, nullum genus acre ferarum,
Dum pariunt, proprio ſubeunt tot uentre dolores.
Sola fremit mulier; ſolùm ſuſpiria ducit
Grandia parturiens, vel quòd ſit corpore molli,
Frigoris impatiens, æſtusque, acrisque laboris;
Vel quia prima luat veteris peccata parentis,
Poma auſæ guſtare olim ſeruata dracone;
Quæ Deus atque illi vetuit, ſocioque marito?
Ante igitur multæ, depreſſæ pondere, dulcem
Efflauere animam: multæ (quæ maxima turba)
Infantem nuper natum videre peremptum.
Huc circùm, atque illuc errabat mortis imago.
At rex omnipotens, poſtquam demiſſus Olympo
In terris ſubijt lethum, legemque refixit,

Factus homo, vitamque hominis, moreſque nouauit,
Inſontumque trahens patrum de carcere manes,
Victor ouans, iterum cœlum conſcendit apertum,
Paulatim æterno cœpit deuictus amore
Parcere fœmineo generi, docuitque ferendi
Mores, & ſtudium (quando uidet omnia tuta)
Vualem in lucem fœtum; centumque potentes
Herbarum explicuit vires generantibus ægris.
Nec contentus adhuc; Syriæ naſcatur in oris,
Qua rapidus lymphis excurrit in æquor Orontes,
Imperat, inſignis forma, ſanctiſſima Virgo,
Quæ matres demum parientes adiuuet ægrè.
Hæc habuit nata infidos utrunque parentem;
At ſimul atque æui maturos attigit annos,
Antiquos ritus, legemque reliquit iniquam,
Nutricis monitu: donat ſe tota, vouetque
Sponſa Deo, monteſque procul contendit in altos,
Contemptis opibus patriis, ut gramina terræ
Rapta famem fontana ſitim fuget vnda moleſtam.
Hoc ſe poſſe loco demum bene viuere ſperat.
Venatum interea, catulis comitantibus, illuc
Forte ibat, cui ſumma fuit conceſſa poteſtas,
Olibrius; denſaſque feras quærebat in antris;
Olibrius Chriſti populo infenſiſſimus hoſtis.
Ille ubi diuinos, nulla licet arte politos,
Virginis aſpexit vultus (frontemque decoram)
Saucius accepit tacitum ſimul oſſibus ignem.
Imperat ergo illam acciri; nomenque, genusque

Hor-

Hortatur fari, cùm ſic eſt orſa puella.
Quid patriam fruſtra, & generis primordia quæris?
Ancillam, famulamq; vides, quæ pectore toto;
Aeterno ſuperum Regi, cui paret Olympus,
Virgineum florem primis deuouit ab annis.
Vix ea: cùm famuli, paſſis per terga capillis,
Captiuam rapidi vicina ad mœnia ducunt,
Nomen vbi, Patriamq; aperit, proprioſq; parentes:
Vtq; Iouis cultu poſito mendace ſequatur
Nazarei Chriſti præcepta, fidemq; fatetur:
Quid faciat præſes? turbatur voce puellæ
Audita primùm; mox illam verbere ſæuo
Plectere, crudeli vel perdere morte, minatur;
Ni mutata retrò veſtigia cœpta relinquat.
Margarita manet, ceu fluctibus obuia cautes,
Aegæo in magno, non funera mille parata;
Non flammas, non vincla pauet, non aſpra flagella.
Conſtanti fert mente minas, & iurgia dura,
Perſtat in incepto victrix, Hominemq;, Deumq;
Clamat adorandum ſemper, nobiſq; colendum.
Continuò tetro deuinctam carcere condi
Imperat olibrius, ſperans hoc poſſe puellæ
Supplicio mutare animum, pectuſq; pudicum.
Aſſiduas hic forte preces cùm ſedula virgo
Funderet, haud vllo mentem perculſa pauore;
Ecce illi noua per tenebras ſerpentis imago
Obuia fit, viſu mira, atque horrenda relatu,
Monſtrum immane, ingens, adapertis faucibus ignem,

Eructans, capite incedens, & cornibus altis:
Cui totſunt oculi, quot ſunt in corpore ſquamæ
Fœdifico, immundo: vaſtos prius oris hiatus
Expandit, caudam in ſpiras mox colligit altas,
Penè voraturum teneræ iam Virginis artus.
Ne verò, ne me ad talem, conterrita virgo,
Perfide credideris legem compellere Dæmon,
Protinus exclamat, ſatis hoc, ſatis Eua reliquit
Exemplum, Eua graui perdens errore nepotes.
Sic referens; frontem, atque humerū cum pectore vtrūq;
Deſignat Cruce, quam manibus tum forte gerebat:
Ingreditur fauces, & viſcera deinde Draconis
Sponte libens, laudatq; Deum, qui faucibus olim
Eripuit piſcis Ionam; puerosque voraci
Illæſos flammæ traxit, calidisque caminis.
Haud mora, iam procumbit humi trepidabile monſtrum
Exilit effractis virgo de pectore coſtis,
Incolumis, votumque Deo pro munere ſoluit.
Tum Deus, excuſſa lutulenti Carceris vmbra,
Viſus adeſſe palàm, ſuperum comitante Senatu
Aligero, ſummis Cæli delapſus ab Aſtris;
Et firmare animum, & curas his demere dictis.
Adſum (ne timeas virgo) quem diligis, adſum
Seruator, ſponſusque tuus; lætare; paratam
Aſpice (nam nubes oculis erepta recedet)
Victricem cælo palmam, geminamq; coronam:
Vna pudicitiæ debetur, & altera letho.
Pro thalamis itidem ſpretis, tactuq; virili,

Neglectis

Neglectis pro tormentis, lethoque nefando,
Suſcipe dona manu meritò; ſic aucta triumphis
Sydeream conſcende domum; iam nectare dulci
Veſcere, & ambroſia; procerum te nobilis ordo
Virgineique manent cœtus, animæque beatæ.
Hæc tibi, poſt uitæ multos, obituſque labores,
Celſa patet ſtatio, uenerando ſplendida cultu.
Hinc ſtellas, ſolemque tuis, Lunamque uidebis
Sub pedibus, tractuſque maris, terrasque, lacuſque.
Hinc quoque (uenturo hoc mentem ſolabor honore)
Pro raptis hoſti exuuijs; domitoque dracone,
Ex utero cuius mundo nunc uiſa renaſci,
Fas erit auxilio grauidas præſente leuare,
Ac puerum inſtanti, matremque arcere periclo.
Sic uolo, ſic iubeo, cauta, atque inuicta uirago;
Sic merita es: dixit, læuaque e parte retexit
Excito cœlum tonitru, ſoliumque reuiſit,
Fragranti cumulans tenebroſum carcerem odore.
Tum uirgo ſubitis non fruſtra concita uiſis,
Ferratos ardet manibus perrumpere clathros
Carceris immitis: Cœlum per tela, per ignes
Optat adire; petit diri tormenta tyranni.
Iamque pati certum eſt, uitæque imponere finem,
Dum ualeat tanto demum fulgore potiri.
Ergo oculos huc, atque illuc conuertit, & omnem
Circuitum luſtrat, ueniat ſi forte ſatelles
Clauiger, intentaque aſtat rumoribus aure.
Ecce alias uirgo ad pœnas, & acerba uocatur

Supplicia è tenebris; Prætoremque ante ſuperbum
Siſtitur, hinc, atque hinc numeroſo milite ſepta.
Ardet adhuc, ſed fruſtra animum ſpe tollit inani
Olibrius, veteri percuſſus vulnere venas.
Ergo alto in ſolio reſidens, placidiſſimus ore,
Aut noſtris fer thura Deis, lectiſſima virgo,
Inquit; meque tibi ſocium, ſponſumque futurum
Polliceor; teſtes eadem ſint numina Diuum:
Aut morere, & pœnas effuſo ſanguine ſolue.
Nonne vides vt tota mihi ſubiecta miniſtret
Aſſyriæ regio? flammis ut perdere demum
Te piceis, uel mutatam dimittere poſſim?
Sic ait: illa breui contra ſermone locuta eſt.
Nec mihi connubium, nec ſunt tua munera cordi:
Nec cæcos agnoſco Deos: haud ſtructa metallo;
Numina uana colam, dum ſpiritus exeat ore;
Thura quibus ſtulti, ueſtrumque offertis honorem.
Me Pater omnipotens primis ſibi iunxit ab annis
Connubio æterno, toto quem pectore adoro:
Ille mihi ſemper Deus eſt, huic debita ſacra:
Pro quo ſtat flammas, ſtat ferrum, & fata ſubire,
Stat quæcunque pati digna, aut indigna relatu.
Talibus exarſit dictis uiolentia ſæui
Præſulis, inque odium pietas conuerſa receſſit.
Illico diſcerpi ueſtem, tædaque cremari
Virginis ardenti nudatos imperat artus,
Ac toſtos gelido perfundi rurſus ab amne,
Acrior ut ſubeat neruos dolor, oſſaque tangat.

Nec

Nec fuga, nec requies; quando ſunt cætera fruſtra
Tentamenta necis, duplicato poplite uirgo
Protinus ad terram fatali concidit enſe.
Spiritus intrepidum corpus, nubesque relinquens,
Euolat, ac ſeſe promiſſis inſerit aſtris;
Vnde nurus audit grauidas, partumque ſecundat;
Propitium cunctis præbens, ſubitumque fauorem.
Hactenus alterno confiſus nomine ſemper
Illuſtri, ſponſæ, atque tuo, clariſſime Luci;
Carmina, ubi Iani fuerat placabilis ara,
De ſobole abſtruſa cecini Genitricis in aluo;
Quo ſtudio accedat; qua præſens arte feratur;
Quoque modo tenues ueniat uitalis in auras.
Illo tum Clemens Romæ dabat æqua uolenti
Tempore iura Pater; populos in pace gubernans
Auſoniæ, lachrymiſque Deum flectebat obortis;
Chriſtiadum reges coeant ut fœdere pacto;
Ac pariter ſancta pro religione tuenda,
Iſmarium toto propellant orbe Tyrannum.

Gynæcyeſeos Libri tertij, atque vltimi finis.

E R R A T A.

Prior numerus paginam , poſterior verſum : A. primam B. ſecundam faciem indicat.

Pag. 2.	ver. 16. B.	Concipit lege.	concipis
3	1. A.	Connubbio,	connubio
4	4. B.	tradibus.	trabibus
4	16. B.	ordibus.	orbibus
5	9. B.	vitem.	vitam
7	10. B.	tradit	trudit
8	14. B.	Matrib. erepti.	Maternis capti.
8	25. B.	ſtomacho.	ſtomachoq;
9	22. B.	captrum,	capnum
10	13. A.	Cythiſum.	Cythiſum
14	9. A.	Italis.	Italiæ
15	6. A.	Die.	Diu
15	16. B.	ſeu	ceu.
16	23. B.	letis	ſetis
18	21. B.	Arctina	Arcana
23	7. A.	Diſuerberat.	diuerberat: quam, quā.
24	27. B.	Appareret.	Apparent.
25	13. B.	Aberant,	aderant
30	13 B.	quamq;	quaq;
37	16 A.	Medici pręſagia.	
38	4. A.	Aemmonias	Aemonias
39	15. B	Portentifices,	Portentificas
40	10. B.	ipſe.	ipſæ
44.	16. B.	retes	rates.

99 936964